5

REVEREND^ME AC ILLUST^ME DOMINE,

Q*Uam verè olim scripserit S. Gregorius Pontifex. Lib. 5. Ep. 15.* Si credi fideliter confitenti despicitur, cunctorum in dubium fides adducitur. Et ibid. *Ep. 16.* Veraciter confitenti non credere, non est Hæresim purgare, sed facere; *singulari, palpabilique nuper experientiâ confirmavit larvatus quidam DIDACUS (uti se vocat) DE OROPEGA.*

Exposueram in Epistola Illustrissimæ V. G. 13. Octob. 1691. inscripta, non minus sincerè, quam dilucidè doctrinam, quam Alumnis Collegii Alticollensis tradere consuevi circa materiam de gratiâ & libero arbitrio, ut tum Illustrissimæ V. G. tum cooperariis Missionis nostræ Batavo-Catholicæ, tum orbi universo Catholico patesceret, nihil à me ipsis hic tradi, quod non sanum, quod non Catholicis gratiæ per se efficacis defensoribus, denique quod non ipsi S. Sedi probatum sit.

Doctrinam hâc in Epistola expositam, uti sanam, & principiis Scholæ S. Thomæ, pluribus sive è Clero, sive è Religione Theologis, denique non uni vel ipsâ in Urbe, conformem visam esse, mihi compertum est.

Placuit interim larvato cuipiam Scribillatori (Didacum de Oropega *se vocat*) *quia* veraciter confitenti *mihi* credere *noluit, doctrinam meam immunem ab Hæresi non agnoscere, sed* Hæresin *potius FACERE eamque duabus in scriptiunculis mihi affingere.*

Quid igitur? Fingit in Scriptiunculis illis (ne materia criminandi deforet) me cum Schola Thomisticâ in jam dictâ materiâ minimè consentire, quod tamen sincerè, veraciterque *professus eram: è contra verò dogmatibus, quæ à SS. PP. Innocent. X. & Alexand. VII. damnata sunt, me inhærere contendit, nullo interim, vel è Thesibus, lectionibus, dictatis, concionibus, publicis privatisvè collocutionibus, adducto testimonio.*

Respondi illicò in Epistola, ipsi quantumvis delitescenti inscriptâ, & publici juris factâ, falsum esse, aut doctrinam communem Scholæ Thomisticæ circà materiam de gratia & libero arbitrio in Epistola Illust. V. G. inscripta, non rectè à me fuisse expressam, aut alienum à Schola istâ sensum verbis Epistolæ istius me subjecisse.

Quis non sperasset, vel iteratò saltem veraciter, fideliterque mihi asserenti, fidem adhibendam fore? Nec hic tamen acquiescendam putavit DIDACUS; ast volenti, nolenti Hæresim obtrudere in Scriptunculâ suâ secundâ remis, velisque contendit.

Quam verò id tentarit inaniter, perspiciet Illustrissima V. G. ubi statum, progressumque controversiæ nostræ, tum circà materiam jam dictam, tum circà criminationem de imaginaria quadam conspiratione à me (uti prætendit) adversus ipsum, & PP. Societatis initâ, paucis tibi exhibuero.

§. I.

Status Controversiæ.

QUæstio inter nos potissimum quadruplex est.

Prima est: jure-ne an injuriâ DIDACUS ille, Hæreticæ me arguat doctrinæ in materia de Gratiâ, libero arbitrio, & morte Christi, iis me annumerando, qnibus applicat illud Augustini lib. 5. contra Julian. cap. 6. *Vos estis morum ruina, qui ipsius fidei, suprà quam mores ædificandi sunt, molimini fundamenta subvertere?*

Secunda quæstio est: Jure-nè, an injuriâ idem DIDACUS subtractæ constitutionibus SS. PP. Innocentii X. & Alexandri VII. debitæ observantiæ reum me agat?

Tertia quæstio est: Jure-nè, an injuriâ idem Scriptor publicis in Scriptis asseruerit, me tum in ipsius, tum in Patrum Societatis conspirasse perniciem?

Quarta quæstio est: Jure-ne, an injuriâ publicè divulgarit, dixisse Eruditissimum D. MELII: *Si Jesuita libelli* (confutationis &c.) *Author sit, perficiam, ut Jesuitæ omnes eliminentur totâ Missione Hollandicâ?*

Non jure, sed injuriâ hæc omnia à DIDACO illo asseri affirmo ego, negat ille.

Uter nostrûm potiori jure suas tueatur partes, paucis nunc dispiciamus.

§. 2.

In quibus utrimq; inter nos conveniat?

EXordium ducamus à quæstione primâ, in qua controvertitur: Jure-ne, an injuriâ larvatus ille DIDACUS, Hæreticæ me doctrinæ reum agat, iisque annumeret, quibus hæc S. Augustini applicat: *Vos estis morum ruina, qui ipsius fidei, suprà quam mores ædificandi sunt, molimini fundamenta subvertère?*

Verum, priusquam allegata utrimque assertionis nostræ proferantur fundamenta, ea obiter, in quibus utrimque convenimus, hìc dispiciamus.

Convenit igitur inter nos 1. non esse necesse, ut quis *piè ac Religiosè* Catholicus sit, eandem cum DIDACO, Scholâque Patrum Societatis circa gratiam, liberum arbitrium, & mortem Christi tuêri doctrinam. Siquidem piè ac Religiosè Catholici ipsis sunt S. Thomæ Discipuli, quos tamen hisce in dogmatibus acerrimos habent Antagonistas.

Convenit 2. doctrinam Scholæ S. Thomæ in materiâ de Gratiâ, Libero arbitrio, & morte Christi ab omni immunem esse Censurâ.

Convenit 3. Ab omni quoque censurâ immunem esse doctrinam meam iisdem in materiis, si eam constet Scholæ Thomisticæ esse conformem.

Convenit 4. Doctrinam meam circà memorata jam dogmata, prout illa à me exposita fuit in Epistolâ Illustrissimo Archiep. Sebasteno inscripta, quoad exteriorem imprimis verborum corticem, doctrinæ Thomisticæ planè esse conformem.

Convenit 5. Nemini magis esse perspicuum, an & quoad rem, eumdem verbis illis, quem Thomistæ, sensum subjecerim, quam mihi, qui verba illa conscripsi.

Convenit 6. Nemini quoque potiori jure credi oportêre, quam mihi, dum affirmo, alium à me sensum verbis illis suppositum non fuisse, quam qui iisdem à Scholę S. Thomæ Scriptoribus supponi solet, nisi evidentia, aut sufficientia aliundè suppetant argumenta, quibus contrarium evincatur.

Convenit 7. pręcipuum motivum, ob quod DIDACUS DE OROPEGA doctrinam meam in prędictis materiis erroris arguerit, illud esse, quod me existimârit, debitam SS. PP. Innocentii X. & Alexandri VII. Constitutionibus Reverentiam non exhibere.

Convenit 8. Si à me duo hæc ostensa fuerint, alterum quod in doctrina, controversiam nostram concernente, cum Schola S. Thomæ conveniam; alterum, quod debitam constitutionibus prædictis exhibeam observantiam, DIDACUM causâ cecidisse suâ, me autem vicisse meam.

Hoc igitur superest, ut manifestum fiat. Sit itaque

§. 3.

Quæ sint præcipua Thomistarum dogmata circa primum, & secundum primæ nostræ controversiæ membrum?

QUatuor sunt præcipua dogmata, in quibus tanquam in immotis totidem cardinibus summa Doctrinæ Thomisticæ de Gratiâ, & Libero arbitrio vertitur.

Primum est dogma de gratiâ per se efficaci, quam alio nomine *prædeterminationem Physicam* appellant; quamque ad singulos actus vitæ æternæ meritorios necessariam statuunt.

Secundum dogma, gratiam inefficacem, sive excitantem concernit, quam & *sufficientem* appellare amant.

Tertium dogma, libertatem exponit, quam ipsi in Libero arbitrio sub gratiâ efficaci constituto, admittendam docent.

Quartam

Quartum dogma, sensum compositum, & divisum explicat, juxta quem vel asserunt, vel negant liberum arbitrium, à Deo per gratiam motum & excitatum, posse dissentire, si velit.

§. 4.

Quid sentiant præcipui inter Thomistas circa dogma de gratiâ per se efficaci?

SEntiunt gratiam illam esse *tale auxilium, quod, prout venit à Deo; independenter ab humanâ voluntate, & mediâ præscientiâ, veras tribuit animæ vires, verèque efficit vi, & energiâ suâ ut arbitrium infallibiliter ei præbeat assensum; ita ut Deus per talem gratiæ efficaciam potenter, atque suaviter subdat arbitrium, & activè, & propriè sibi faciat consentire.* Ita Lemos inter Thomistas nemini secundus lib. 4. part. 2. tract. cap. 12.

Hanc Thomæ Lemos doctrinam ab ævo in Scholâ S. Thomæ traditam esse, fidem faciunt PP. Dominicani tum in libello, tum in memoriali Innocentio XI. exhibitis.

Quin & eidem inhærebant sententiæ PP. Dominicani anno 1668. in suis Comitiis Provincialibus, uti & PP. Carmelitæ Discalceati in suis anno 1685., dum asserebant, se nomine gratiæ per se efficacis aliud non intelligere, quam gratiam Divinam, *quæ omnem suam efficaciam habet ab omnipotentia Dei, & à Dominio, quod Divina Majestas habet in voluntates hominum, sicut in cætera omnia, quâ Deus velle, & operari operatur in nobis; facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati.....* per quam ita *interiùs* operatur Deus, *ut id, quod voluntas humana vult, eo modo velit, quo congruit naturæ suæ, voluntariè prorsus & liberè, idque planè secundum S. Aug. & S. Thomam, conformiter ad ipsam S. Scripturam &c.* Eandem tuiti sunt doctrinam Guilielmus Estius, Sylvius, aliique complures è Clero S. Thomæ Discipuli. Denique eidem adstipulatæ sunt sententiæ, jam ipso Thomæ Lemos tempore quatuor Academiæ celeberrimæ, de quibus ipsemet Lemos lib 4. part. 2. tract. 4. cap. 12. *Florentissima Academiæ pari consensu hanc prævenientis gratiæ divinam efficaciam tradiderunt, ut antiquissima, & doctissima illa Lovaniensis, Eruditissima Duacensis, Sapientissima Parisiensis, & insignis Salmanticensis.* Sufficient hæc è pluribus pauca, ut intelligenti cuilibet liqueat, quid communiter tradat tum Schola Thomistica, tum alii plures è Clero S. Thomæ genuini Discipuli circa dogma de gratiâ per se efficaci.

§. 5.

Quæ sit mea circa idem punctum sententia?

REsp. Eadem planè cum descriptâ §. Superiori. Manifestum hoc relinquo ex Epistolâ ad Illustrissimam V. G. nuper datâ, uti cuilibet lectori, præjudiciis non occupato, perspectum existimo.

Hoc præterquam approbatoribus ejusdem Epistolæ, pluribus tum ex Dominicanâ, tum ex Augustinianâ familiâ, tum ipsâ in Urbe existentibus, visum fuisse, mihi compertum est.

Quare & hîc fidenter rursum affirmo, quod nuper Didaco in Epistolâ ipsi inscriptâ oggessi, videlicet, *falsum esse, aut Doctrinam communem Scholæ Thomisticæ circà materiam de Gratia in Epistola ad Illustrissimam V. G. non rectè à me fuisse expressam, aut alienum à Schola ista sensum verbis Epistolæ istius me subjecisse.*

Quâ igitur fronte asserere ausus est Didacus post lectam utramque hanc Epistolam, ita me ratiocinatum fuisse: *Admitto locutiones Thomistarum aliquas, ergo Thomista sum?* Part. 2. diff. cap. 2. Qua ratione persuadere sibi potuit, me loqui dumtaxat cum Thomistis, (id quod prætendit) & non sentire, ubi tam liberè asserentem vidit, *falsum esse; alienum à Schola Thomistica sensum sententiis verè Thomisticis à me subjectum esse?* An forte quispiam scit melius, quid sit in homine, quam spiritus hominis, qui est in homine? An charitas hoc suggerit, quæ (teste Apostolo) *non cogitat malum?*

En hic igitur ratiocinium, cui innitebar, dum Illust. V. G. scribebam, sperare me fore, ut Alumni Collegii Alticollensis, imbuti principiis circà materiam de gratia, & libero arbitrio in Epistolâ illâ exprimendis, immunes haberentur à Doctrina censuris obnoxia.

Doctrina, quam in materia de gratia, & libero arbitrio Alumnis Collegii mei trado, eadem est quoad substantiam, modosque loquendi, cum doctrina in Scholа S. Thomæ tradi solitâ, ergò doctrina

mea

mea hac in parte immunis est ab omni censura: Ergò Alumni Collegii Alticollensis principiis istis imbuti, immunes hìc quoque sunt à doctrina censuris obnoxia.

Sed tempus est, ut quas mihi opponendas Didacus difficultates duxit, breviter resolvam.

§. 6.

Difficultas 1. adversus prædicta à Didaco oggesta.

TRiplicem potissimum mihi, aut imperitis potiùs, movet difficultatem Didacus, ut persuadeat, aliam à me teneri quam à Discipulis S. Thomæ pro hoc statu gratiam efficacem.

Harum prima est, quod juxtà ipsum nihil hâc in materia doceam, *quod quoad rem & substantiam*, imò quoad ipsos propemodum terminos, *Pseudo-Augustini Cornelii Jansenii principiis non congruat.*

Resolutio difficultatis primæ.

QUid docuerit Jansenius-nec-nè de gratia per se efficaci, quæstio est, quæ non magis me tangit; aut angit, quam Discipulos S. Thomæ, utpote quibuscum hâc in parte omnimodis mihi convenit.

Quare, si imposterùm asserere voluerit Didacus, eandem hic esse meam, & Jansenii doctrinam, alterutrum horum adstruat necesse est, scilicet, vel Jansenii doctrinam de gratia per se efficaci, ab omni censurâ immunem, vel doctrinam Thomistarum circà idem dogma, censuræ obnoxiam esse.

Prius non opus est, ut quis præstoletur. Utinam remotus æque foret & à secundo!

Acceptamus interim, quæ scribit *centies videlicet* se audivisse *Jesuitas Professores palam agnoscentes, sententiam Thomistarum de gratia efficaci, licet eam scholasticè impugnent, defendi Catholicè*, atque adeò juxtà ipsum, Thomistas *probè & religiosè* Catholicos esse. Spero fore, ut & me illis brevi annumeret. Idque tantò fidentius, quantò ex §. sequenti patentius ipsi fiet, quantum ab eâ absim doctrinâ, quam ipse in Jansenio damnatam tenet.

§. 7.

Difficultas 2. à Didaco proposita.

SEcunda difficultas mihi oggesta, sive secunda ratio, ob quam me eadem de gratia per se efficaci sentire, non cum Thomistis, sed cum Jansenio persuadere nititur Didacus, in eo sita est, quod arbitretur, me gratiam illam constituere in gratia, voluntatem verè necessitante, atque in eo me Jansenio accinere. Hinc part. 2. diffic. 2. *Jansenianum virus, inquit, in eo colloco, quod mereri dicamur per actus bonos elicitos ex gratia, quæ se tenet ex parte actus primi, & tamen indeclinabiliter, & insuperabiliter nos impellit, consensum extorquens non sine necessitate infallibilitatis, & consequentia antecedenti.*

Resolutio difficultatis secundæ

AN mentem hìc, sensumque Jansenii attigerit Didacus, iis relinquo, qui in scrutando Authore illo studiosius, quam ego, versati sunt. Hoc scio, Deum per gratiam, quam cum Thomistis deprædico, voluntatem humanam neque violentiâ cogere, neque naturali necessitate ad unum determinare; adeòque nec consensum ab illa, aut violenter, aut per modum naturæ extorquere; sed potius efficere, ut id, quod voluntas humana vult, eo modo velit, quo congruit naturæ suæ, voluntariè prorsus & liberè, idque plane secundùm S. Augustinum, & S. Thomam conformiter ad ipsam S. Scripturam, præsertim, Ezech. 36. Proverb. 21. ad Philipp. 2. Joan. 2. &c.

Liquet hoc ex §. 5., in quo dixi eandem me tenere gratiam per se efficacem, quam in suis respectivè Comitiis Provincialibus PP. Dominicani, & Carmelitæ Discalceati annis 1668. & 1685. vivis coloribus delineârunt, quamque cum iisdem rectè, physicè prædeterminantem censeo dici posse, "non quod (ipsissima ipsorum verba refero) imponat voluntati necessitatem aliquam, „ sicut

„ ficut est in naturalibus, quæ sunt omninò determinatæ ad unum, vel aliquam aliam Physicam „ qualitatem voluntati imprimat, quo per modum naturæ *eam impellat*, aut *necessitet*, sed ideò „ tantùm, quod gratiæ suæ auxilium Deus, nullâ præsuppositâ scientiâ mediâ, aut conditionatâ „ boni usus nostræ voluntatis, illam ad actus liberos bonos determinet, non solum interius sua- „ dendo, excitando, invitando, aut aliter moraliter attrahendo, sed etiam active, vere, & proprie „ & per modum agentis, absque violentiâ tamen ex parte potentiæ, & in ipsa potentia causat ip- „ sam voluntatis actionem, adeoque gratia sit bonæ voluntatis vere, & proprie effectrix, quâ fit, „ ut homo ad suam actionem infallibiliter se determinet, non ex necessitate, sed juxtà suum pro- „ proprium modum omnimodæ libertatis.

Poteram-nè efficacius, dilucidius-vè exprimere, quam longè absim ab asserenda gratia, voluntatem nostram vel naturaliter necessitante, vel violenter cogente?

Sed aliud forsitan verbis hìc iterum exprimo, aliud corde premo. Quid ita? quia nempe juxta Didacum gratia efficax, quam tueor, *vires præbet voluntati, ad superandam concupiscentiam necessarias*, id quod, ipso affirmante, gratiæ Thomistarum efficaci non competit, sed potius sufficienti.

Aliud ego gratiæ efficaci non tribuo, quam quod illi tribuit Lemos §. 4. dum eam talem esse asserit, quæ juxtà ipsum, ac proinde & juxta omnes ejus sectatores, *veras tribuat animæ vires, verèque efficiat vi, & energiâ suâ, ut arbitrium infallibiliter ei præbeat assensum.*

Hoc ipsum, paulò ante asserentes quoque vidimus PP. Dominicanos, ac Carmelitas Discalceatos, videlicet quod Deus per gratiam efficacem præbeat *vires efficacissimas voluntati*. Et quorsum, ambo, nisi *ad superandam concupiscentiam*, vel ad bonos salutaresque actus exercendos?

Vides proculdubio Illustrissime Domine, eadem me hìc rursus cum Thomistis & sentire & loqui. Verùm, ne Didaco mirum id imposterum videatur, videlicet ab utrisque nostrûm (me utique & Thomistis) adscribi gratiæ efficaci, *quod veras tribuat animæ vires*, quas ipse partes soli sufficienti gratiæ assignat, reflectat imposterùm juxta celebres Thomistas, *auxilium efficax* continere *eminenter omnem perfectionem sufficientis auxilii, sicut omne perfectum alicujus generis eminenter continet quidquid perfectionis est in quolibet imperfecto ejusdem generis. Unde non oportet, quod auxilium, quod est formaliter efficax, & eminenter sufficiens ad invicem distinguantur.*

Sic Germanus Philalethes in Triumpho Thomistarum pag. 157. loquentem inducit Navarette tom. 2. in 1. part. Controv. 19. §. 5. ubi & plures citat in eandem sententiam.

Quod si hæc Didaco responsio minus placet; en ei alteram, videlicet, quod juxta nos, quotiescumque homo bonum efficaciter operatur, Deus sicut movet hominem per gratiam excitantem, & adjuvantem, ita semper moveat per gratiam sensu Thomistarum sufficientem, qualis est excitans gratia, & per efficacem, qualis est adjuvans. Ita fere Lemos tom. 2. l. 4. tract. 2. cap 9. ubi addit: *Unde de ratione gratiæ adjuvantis, seu efficacis est, quod præsupponat sufficientem, & super vires sufficientes superaddat vires efficaces.*

Nihil igitur obstat, quo minus & hic rursum fateatur Didacus, eadem me cum Discipulis S. Thomæ & loqui, & sentire.

§. 8.

Proponitur Difficultas tertia.

Dissentire à Thomistis Didaco visus sum aliquando, eò quod putaret, me gratiam per se efficacem collocare in *delectatione gratiæ indeliberatâ*.

Resolutio Difficultatis tertiæ.

Gratulor equidem Didaco, quod tandem aliquando fateatur, me gratiam per se efficacem non constituere in *delectatione indeliberata*. Diff. part. 2. p. 95.

Videre Didacus hoc potuit, nec dubito (quidquid interim dissimulet) quin & viderit in Thesi meâ anni 1689. toties ab ipso, sociisque ejus in vanum vellicatâ.

Instat nihilominus Didacus, & aliis in Thesibus insinuatam saltem à me vult hanc delectationem, v. gr. in Thesi die 7. Aprilis 1687. defensa, in qua asserui, opera, quibus sanctificatio nostra, & justitia augetur, non viribus solius naturæ esse adscribenda, sed *Spiritui S. liberum arbitrium delectabiliter, & insuperabiliter moventi; simulque libero arbitrio taliter à Deo moto.*

Aliud

Alium eundem in finem ex Thesi 26. Maii 1689. propugnata locum adducit, in quo affirmavi S. Augustinum, dum de vocatione congruâ est locutus, ita intelligendum esse, *ut ideò censeat hominem à Deo vocari, sicut ille novit CONGRUERE, quia novit efficaciam vocationis suæ, quæ ita fortiter, & SUAVITER in partes suas novit hominem trahere, ut hinc ille vocantem non respuat, sed infallibiliter, liberè tamen, vocanti pareat; cum nihil homini eâ vocatione accidere queat CONGRUENTIUS, nihil DELECTABILIUS; sequitur namque vocantem, quia sequi, quam non sequi longè ipsi est DELECTABILIUS.*

Verum, quid hic, amabo, quod homo præventus gratiâ prædeterminante in se non experiatur? Quid hic, quod quilibet S. Thomæ Discipulus exprimere mecum non possit? Quid hic aliud, quam quod eàdem ipsa in Thesi ab Alvare & Lemos Thomistis celeberrimis tradi, ostensum à me est? Atque adeò quid hîc, ex quo colligere potuit Didacus me à Thomistis recedere, & gratiam per se efficacem collocare in *delectatione indeliberatâ*, voluntatem nostram necessitante, à qua, & ego, & Thomistæ sumus remotissimi? Adiisset saltem Didacus Thesim meam anni 1689. in Novembri defensam, & clare rejectam isthic istiusmodi delectationem, uti econtrà admissam offendisset delectationem, longe ab hac diversam, utpote cum libertate hujus status quam optime consistentem, à S. Augustino, ejusque Schola approbatam, denique à Thomistis minime rejectam.

Sanè non magis repugnat, unà prædeterminationem Physicam amplecti, & delectationem victricem jam-jam laudatam, quam amare matrem & filiam, causam & effectum, denique, quam unà esse Discipulum S. Augustini, & S. Thomæ.

Qui dubitat, triumphum inspiciat Germani Philalethis p. 195. & videbit, *quam benè conveniant, & in una sede morentur* (uti Author isthic loquitur) VICTRIX DELECTATIO, ET PHYSICA PRÆDETERMINATIO, *sive quod idem est gratia prædeterminans, & delectatio justitiæ concupiscentiam vincens.*

Adeat Approbatores ejus PP. Discalceatos, testabuntur, quod is Author GRATIAM VICTRICEM AC PRÆDETERMINANTEM *inconcussis fundamentis stabilit, & stabilitam ab adversariorum impugnationibus firmissimè defendit.*

Adeat PP. Dominicanos Parisienses asserentes, quod eo in libro firmentur antiqua & inconconcussa *SS. Augustini & Thomæ* dogmata de gratiâ Christi FORTITER VICTRICE, & SUAVITER PRÆDETERMINANTE.

Adeat PP. Benedictinos, Religiosos Vedastinos; videbit eos publicâ in Thesi sustinentes, hominem non habiturum amorem justitiæ, *nisi illum accipiat speciali auxilio gratiæ* VICTRICIS, ET PRÆDOMINANTIS.

Adeat R. P. Senault Congregationis Oratorii Generalem, & videbit eum in Epist. ad quemdam Oratorii Confratrem nomine *Van Blotacque* directâ, de Thesi, in qua hęc doctrina erat proposita asserentem, *je vous remercy de vôtre belle These, donc j'approuve fort la doctrine, parce qu'elle est de S. Thomas.*

Denique adeat Ex. P. HARNEY, quem mihi DIDACUS exemplar sanioris doctrinæ proponit, asserentem in libro prædicto, Concordiam Divinæ gratiæ SS. August. & Thomæ pro utroque statu, ita FELICITER TENTATAM, FACILITER DECLARATAM, FIRMITERQUE COMPROBATAM esse, ut postquam *totum sedulò* perpendit. non possit non plurimum *approbare ingenium, judicium, & studium authoris*, seque optare *hoc maximè, ut qui legit, intelligat.* Siccinè, amabo, de hoc libro sentiret Doctor ille, si omnem delectationem cælestem, victricemque cum gratiâ prædeterminante incompossibilem existimasset?

Ex his itaque omnibus patet (ut confido) manifestè, nihil me Alumnis Collegii Alticollensis circa efficaciam gratiæ instillare, quod doctrinæ Scholarum S. Thomæ ab omni censurâ immuni, per omnia non sit conforme.

Restat ergò, ut & pauca quædam de gratiâ inefficaci à Thomistis, & à me tradi solitâ hic subjiciam.

§. 9.

Quid censeant Discipuli S. Thomæ de gratiâ sufficiente?

CEnsent 1. præter auxilium efficax, admittendum insuper esse auxilium, quod tum excitans, tum inefficax, tum sufficiens, idem significantibus verbis vocatur.

Censent 2. quod omnis gratia, ut complectitur non solum illuminationem externam intelle-

ctus, sed etiam motionem supernaturalem receptam in voluntate, idem sit realiter, quod gratia sufficiens; ita ut omnis gratia prædicto modo excitans, sit gratia sufficiens comparatione effectus, ad quem excitat, ut si excitet ad diligendum Deum super omnia, erit gratia sufficiens comparatione actus dilectionis Dei.

Censent 3. auxilium sufficiens esse tale auxilium, quod veram dat operandi potentiam, quæ licet illud, quod ulterius intendit, de facto non operetur, sano tamen sensu ad illud proximam tribuit potentiam, exituram in actum, si per auxilium efficax applicetur, aliàs nunquam.

Censent 4. quod per illud auxilium Deus intellectum quidem illustret, & voluntatem excitet ad conversionem, imperfectè tamen, cui quamvis voluntas possit consentire, etiam quoad actum perfectum, numquam tamen consentiet, nisi alio efficaci auxilio præventa.

Dicitur autem ipsis hoc auxilium sufficiens, quia est in suo genere & ordine completum, constituens potentiam in actu primo potentem operari, quamvis non in ultima actualitate, ut sequatur operatio, quæ tamen sequeretur, si illa potentia per auxilium efficax applicaretur.

Hinc censent 5. duo hęc simul esse compossibilia; videlicet, quod prętер gratiam sufficientem quæ tribuit posse, sit absolute necessarium aliud auxilium prævenientis gratiæ efficacis tribuens actualiter pie operari, & nihilominus gratia illa, quæ dicitur sufficiens, sit vere sufficiens, sensu nempe jam dicto.

Censent 6. non uno sensu dici posse, quod illi gratiæ resistatur: 1. quod actualiter & liberâ voluntate abjiciatur; atque adeò verè aliquando eidem dissentiatur. 2. Quia gratia illa non omnem illum habet effectum, quem habere potest. 3. Quod non omnem illum effectum obtineat, ad quem tendit, ad quem voluntatem excitat, & ad quem per antecedentem Dei voluntatem destinatur.

Censent 7. quod auxilium sufficiens respectu unius actus, semper sit efficax respectu alterius, imperfectæ scilicet istius illustrationis, & velleitatis, ad quam absoluto Dei decreto ordinatur.

Censent 8. non tantùm gratiam per se efficacem, sed & gratiam inefficacem veram esse Christi gratiam.

Nihil hìc esse, quod gratiæ inefficaci à me propugnatæ reipsâ non conveniat, patet ex Epistola Illust. V. G. nuper inscripta.

Ex quo iterum concludo, quod si doctrina Scholæ S. Thomæ hic expressa, immunis sit ab omni censurâ, (id quod nec Didacus, nec Socii ejus negare, saltem publicè ausint) & mea quoque circà prædictum dogma de gratiâ inefficaci ab omni censurâ immunis pronuntianda sit.

§. 10.

Difficultates à Didaco adversus meam de gratia inefficaci sententiam proposita

DIfficultas prima juxtà ipsum in eo sita est, quod hoc sensu gratia aliqua mihi inefficax sit, *quod non omnis obtineat justificationem, non omnis voluntatem reddat perfectè, & efficaciter volentem, sed quadam tantum extundat complacentias, velleitates, seu infirma desideria.* Diff. 3. p. 17. atqui hic sensus Didaco inadæquatus est, ergo &c.

Resolutio Difficultatis prima.

OMnis sensus, juxta quem gratia aliqua Scholæ S. Thomæ est inefficax, & mihi talis est. Cæterum, quid de eo judicandum sit sensu, de quo hàc in difficultate Didacus, ex §. prædenti proclive est decernere; & ex resolutione sequenti fiet manifestius.

§. 11.

Difficultas secunda.

DIfficultatem secundam peperit, quod non videar, eum admittere resistendi gratiæ inefficaci modum, qui Didaco probetur. Et quis tandem ille modus? En eum tibi in promptu. *Talis,* inquit, diff. part. 2. pag. 46. *resistentia admittenda est, quâ gratia frustretur effectu suo, ad quem verè sufficit in illis circumstantiis, ita ut ad effectum obtinendum nihil extra potestatem creaturæ prætereà requiratur, quod se teneat ex parte actus primi.*

Resolutio

Resolutio difficultatis secundæ.

VEl scivit Didacus à Scholâ Thomisticâ admitti resistentiam à se descriptam, atque ita dubitare non debuit, quin & à me illa admitteretur, cum publice professus sim in Epistolâ ad Illustrissimam V. G. quod admittam, *gratiæ illi (inefficaci) resisti omni eâ resistentiâ, per quam ei resisti docet Schola Thomistica*: vel scivit, illam ab istâ Scholâ non admitti; ac proinde judicare debuit Scholam illam, unàque & me, licet hanc resistentiam non reciperemus, immunes nihilominus fore ab omni Censurâ, materiam hanc concernente.

Lubet erga Didacum mihi esse liberaliori. Dico igitur, quod juxta me & Thomistas gratiâ inefficax numquam illum habitura sit effectum (licet respectu illius, sensu Scholæ S. Thomæ, vere sit sufficiens) ad quem tendit, ad quem excitat, & ad quem voluntate Dei antecedente, destinatur, nisi alio voluntas efficaciori auxilio præveniatur, atque adeò quod juxtà nos semper gratiæ inefficaci quoad illum effectum voluntas resistat, nisi à gratiâ efficaciori divinitus præveniatur.

Vin' clarius? juxta nos gratiæ actuali interiori, quâ Deus intellectum illustrat, & voluntatem excitat v. gr. ad conversionem, imperfectè tamen, licet ei possit consentire voluntas, etiam quoad actum perfectum; numquam tamen consentiet, nisi alio distincto efficaci auxilio præventa.

Quare iterum, iterumque hic ingemino, eandem me cum Thomistis admittere gratiam inefficacem, nec non omnem insuper resistendi gratiæ isti modum, quem admittit Schola Thomistica.

Hoc autem posito, in fumos iterùm abit difficultas tertia, quam mihi objicit Didacus.

§. 12.

Difficultas tertia.

IN eo sita est hæc difficultas, quod eandem mecum Jansenius resistentiam admisisse videatur.

Resolutio Difficultatis tertiæ.

SImilis per omnia hic quadrat responsio, qualis à me data est circà difficultatem primam, adversus doctrinam meam de gratiâ per se efficaci, ab ipso motam. Hinc ad illam ipsum remitto.

Verum, cum ad singulas difficultas mihi motas, invidiosam illam cum Jansenio oggerat comparationem, meritò hic dispicimus, an non etiam confœderatos meos hâc in materia Thomistas illa concernat. Sit itaque

QUÆSTIO UNICA.

Scholæ-nè S. Thomæ intersit, quod sententia Doctorum Catholicorum de gratiâ, & libero arbitrio, tanquam à SS. PP. Innocentio X. & Alexandro VII. damnata, passim debuccinetur?

INterest per omnem modum; præsertim dum Professores Scholæ istius celebris, facti evidentiâ convicti, diffiteri nequeunt eandem planè esse doctrinam, quam Doctores illi profitentur, & quam ipsimet suis è pulpitis auditoribus proponunt.

Quid enim facilius, gratiæ prædeterminantis impugnatoribus, quam ut, ubi tum apud plebem, tum apud Ecclesiæ proceres complures, de Jansenismo suspectam reddiderint privatorum istiusmodi Professorum doctrinam, eò paulatim prorumpant, ut eandem Doctoribus Scholæ S. Thomæ maculam apud eosdem aspergant? Nisi forte non rectè sequatur:

Sententia privatorum aliquot Doctorum, eadem tum penes substantiam, tum penes ipsissimos terminos cum doctrinâ Scholæ S. Thomæ, à SS. PP. Innoc. X. & Alex. VII. est damnata; ergo doctrina istius Scholæ ab iisdem Pontificibus est damnata.

Fallor, si tam legitime hæc non concluderet ratiocinatio, quam ista, quâ nitebatur aliquando Pater du Bosc in libro, cui titulus: *La decouverte d'une nouvelle Heresie*; videlicet:

De-

Doctrina de gratiâ per se efficaci, prout illa à Thomistis defenditur, est doctrina ab Ecclesia damnata, ergo doctrina, quam Doctores aliquot Catholici in Jansenio tradi existimant, quæque ipsissima est doctrina de gratia per se efficaci, prout illa à Thomistis defenditur, ab Ecclesia est damnata.

Quid itidem de hâc consequentiâ? Doctores privati, qui tenent gratiam per se efficacem intrinsecè, non cum Ecclesia Romana & cum Augustino sentiunt, sed cum Calvino (id quod nuperus quidam professor publicè asserebat) ergo doctrina Professorum Scholæ S. Thomæ, qui tenent gratiam per se efficacem intrinsecè, non cum Ecclesiâ, & cum August. sentiunt, sed cum Calvino?

At, quis, inquies, sinistrè adeò de Schola tam Catholicâ suspicetur?

Nôrunt PP. Dominicani, hanc esse P. Fabri sententiam: *Dico eandem esse gratiam prædeterminantium, Jansenii, & Calvini.* Nôrunt socios ejus qui ab ipsis aliquandò accusati in materia de gratia & libero arbitrio fuerunt, recriminationem Calvinismi ipsis publicè oggessisse.

Reposituros quidem scio Thomisticæ Scholæ Professores, se doctrinam Scholæ suæ à doctrina Calvini publicis in scriptis secrevisse plus vice simplici, scio ipsos reposituros damnare se propositiones 5. famosas in sensu ab authore intento, ac proinde nihil sibi cum damnatis in Calvino, & Jansenio doctrinis esse commune. Ast quid, si reponat adversariorum quispiam, Doctores illos privatos similiter profiteri, se quoque rejicere doctrinam, quæ tum à Thomistis, tum ab aliis Catholicis Calvino adscribitur in materia de gratia, & libero arbitrio; se insuper damnare propositiones illas jam memoratas in omni sensu, quo illas universa damnat Schola Thomistica. Quid, inquam, si is reponat, nihil hæc obstare, quominus doctrina Theologorum istorum, damnata sit in Conc. Tridentino, & in Constitutionibus SS. PP. Innocentii X. & Alex. VII. atque ideò nihil sibi quoque apparere, cur non idem, si non publice hactenùs eloqui, sentire saltem interius liceat de doctrina Scholarum S. Thomæ?

Liquet ex his omnibus permagni interesse Scholarum S. Thomæ, ut dispiciant, ne per vagas illas, hodiéque nimium frequentes adversus doctrinam aliquot Theologorum privatorum criminationes, vulnus irreparabile sententiæ Scholæ ipsorum aliquando infligatur.

Præsagierunt indubiè grande hoc malum [redacted] qui [redacted] nuperrimè conatibus quorumdam, postulantium à S. Sede damnationem expositionis 5. Articulorum Innocent. XI. & Alex. VIII. oblatæ, in qua doctrina Thomistica nitidè, dilucidéque exponitur, viriliter sese opposuêre.

Eandem quoque sortem ab adversariis suis metuebat Gonetus, dum uti aliàs annotavi, in Apologia sua scribebat: *aliqui nuper dicere cœperunt Jansenium à Calvino remotissimum esse, forsitan, ut viam sibi parent ad aliquid gravius, & quod longo tempore & arte eget, ut aliquando palam asseratur, solam in Jansenio gratiam per se efficacem damnatam fuisse.*

An simile quid intenderit Cranenbergius à Didaco adoptatus per scriptum suum, cui titulus; *Fraus 5. Articulorum*, &c. Novit is, qui scrutator est cordium & renum; an autem ultrò hunc in scopum non tendat totius scripti istius contextus, superiorum esto judicium.

§. 13.

Quam libertatem Thomistæ ad merendum passim requirant hoc in statu in libero arbitrio, sub gratiâ prædeterminante constituto?

Requirunt plane libertatem indifferentiæ. Illa breviter sic describitur à Sylvio 1. p. q. 83. quæsito 3. *Facultas, quæ ex collatione rationis potest in diversa ferri*, aut sic; *facultas rationis & voluntatis ad utrumlibet.*

Tria autem (uti ex Epistola Illustrissimæ V. G. nuper inscriptâ liquet) juxta ipsos includit hæc libertas; unum ex parte intellectus, indifferentiam scilicet objectivam judicii, & duo ex parte voluntatis: nempe immunitatem tum à coactione, tum à necessariâ determinatione ad unum, id est, ad hanc libertatem, ejusve modum requirunt spontaneitatem, ac simul actualem voluntatis indifferentiam, seu potentiam ad oppositum.

§. 14.

Quæ mea sit circà memoratum dogma de libertate ad merendum sententia.

RESp. Ipsissima, quam §. Superiori descripsi, quam pluribus in Epistola jam relata exposui, & quam cum gratiâ per se efficaci commodissimè in libero arbitrio combinari posse, ibidem ostendi.

§. 15.

Duplex sententiæ meæ circà prædicta de libertate difficultas à Didaco opposita.

DUo iis opponit Didacus: primum, quod Jansenius eadem illa tria admittat in libero arbitrio sub gratiâ constituto, videlicet *indifferentiam judicii objectivam in intellectu, & in voluntate præter immunitatem à coactione, etiam actualem indifferentiam.* P. 1. diff. p 31.

Secunda difficultas, quam mihi hic opponit, ea est, quod ad merendum talem requiram gratiam, quæ cum libertate jam descriptâ non consistat, talem, inquam, gratiam, quâ in voluntate positâ, actus sequatur necessariò necessitate non solius consequentiæ, sed & necessitate antecedente. Vide illum p. 32.

Resolutio utriusque difficultatis.

UT tria ista in libero arbitrio sub gratiâ constituto admissa esse crediderim à Jansenio, haud ero difficilis. Verum, quid hoc me rursus magis concernit, quam Thomistas, qui unanimiter reclamant, eam ob causam damnatum illum non esse.

Verum, nec hoc ipse Didacus contendit. Ast hoc dumtaxat, quod isthæc cum Thomistis concordia ab aliâ me damnata doctrina non eximat, juxta quam ad merendum, talem [illegible] gratiam, quæ cum libertate superius descriptâ minimè consistat, talem, inquam, gratiam, quâ in voluntate positâ, actus sequatur necessariò, necessitate non solius consequentiæ, sed verâ necessitate antecedente: paucis, quia ad merendum requiro, uti prętendit Didacus, gratiam verè necessitantem.

Quam procul hæc à mente meâ! discere id potuit ex Thesi meâ 26 Maii 1689. defensâ.

Proposueram isthìc famosum istud PP. Societatis argumentum: *Quando suppositio non est in nostra potestate, tunc id quod necessariò sequitur ex suppositione, nullo modo est liberum: sed talis suppositio est gratia per se efficax: ergo id quod sequitur ex gratia per se efficaci, non est liberum.* Ita ipsi in R. ad Cens. Lovan. ad assert. 8.

En verò hìc, quod ad istud argumentum, cum majoribus nostris Censuræ Lovaniensis authoribus, illiusque approbatoribus, unà & cum Thoma Lemos ibidem reposui, videlicet, quod quamvis efficacia motionis Divinæ non sit in potestate arbitrii, nec illam possit homo tollere, aut impedire, actus tamen volendi sit in potestate voluntatis, & ipsum ita faciat ex efficacia motionis, quod absolute illum possit non facere, licet non possit cum efficacia motionis conjungere contrarium dissensum.

Rationem addidi ex Thoma Lemos, hanc nempe, quia *efficacia divinæ motionis, quæ in nostra potestate non est* (utpote antecedens bonum voluntatis actum) *ponit in potestate nostrâ actum hoc modo, quod illam liberè facere velimus, & de facto faciamus, licet simul cum illa actum contrarium conjungere non possimus.* Ita ille, tom. 1. tract. 3. c. 24.

Hinc & cum majoribus nostris in resp. ad arg. Apol c. 11. Ultrò professus sum, quod positâ in libero arbitrio divinâ motione, *actus sequatur necessariò necessitate* CONSECUTIONIS, asserui tamen cum iisdem, *quod actus ille non sit in se necessarius propter causæ secundæ conditionem, sed liber, qui scilicet sic fiat ab homine, ut possit idem liberâ contrariâ electione non fieri.*

Siccine agit illa gratia, quam mihi affricuit Didacus? illa, inquam, gratia, quâ positâ in voluntate actus sequatur necessariò, necessitate non solius consecutionis, sive infallibilitatis, sed verâ necessitate antecedente? Siccine agit, *delectatio* illa *invicta*, quam mihi rursum affingit, *sive terrena, sive cælestis, sine quâ in præsentiâ delectationis oppositæ intentioris vires debiliores sunt, desunt*

potentia

potentia firmamenta, hac ardentiori æstu abripitur, ut eum magis superare non possit potentiâ antecedente, quam fractis cruribus ambulare, aut orbus oculis videre? P. 1. diff. p. 23.

Sane, si hæc in gratiam physice prædeterminantem à Thoma Lemos definitam, & à Thomistis communiter traditam minime cadant, quomodo in gratiam cadent à me defensam eandem utique cum ea, quam Thomistæ amplectuntur?

§. 16.

Quæ sit mea de sensu composito, & diviso sententia?

IDem me de utroque hoc sensu cum Thomistis sentire, tum in Epistola Illustrissimæ V. G. inscripta p. 7., tum in Thesi jamjam citata §. 12. irrefragabiliter demonstratum est.

Hinc, dum utrimque asserimus liberum arbitrium à Deo motum & excitatum non posse dissentire Deo vocanti, & excitanti in sensu composito, sed bene in sensu diviso; nihil aliud utrimque asserimus, quam quod quamvis actualis dissensus cum Divina motione (efficaci scilicet) conjungi seu componi nequeat; voluntas tamen etiam, ut gratiæ subest, ab eâque movetur, & ad agendum applicatur, retineat absolutam dissentiendi potestatem. Similiter, dum utrimque dicimus verum esse, quod *liberum arbitrium à Deo motum & excitatum* possit dissentire, si velit, eo id sensu dicimus, quo significetur non tantum, quod liberum arbitrium, dum non habet ullam ex parte Dei motionem, possit assentire, vel dissentire, sed insuper, quod postquam liberum arbitrium in se re recepit eam motionem ad assentiendum, possit tamen adhuc dissentire, sive adhuc retineat potentiam dissentiendi.

Atque hæc sunt, Illustrissime Domine, quæ dispellendis nebulis à DIDACO doctrinæ meæ circa gratiam, & liberum arbitrium nuper offusis, abunde sufficere judicavi.

Idem mecum judicatum iri non à solâ Illustrissimâ V. G. sed & ab omnibus gratiæ efficacis defensoribus, nullus dubitem. Id si necdum DIDACO visum fuerit, ei condolendum. Per me licet, ut & hìc denuò exclamet: *miserum me! qui in hâc luce plusquam meridianâ nihil videam, aut talpam me esse oportet, aut noctuâ cæciorem, cui in luce tam conspicuâ, & prorsus clarissimâ oculi caligent, ut nihil percipiant eorum, quæ prædicas esse manifesta.* 1. p. Diff. pag. 36.

§. 17.

Quid sentiant Thomistæ circa mortem Christi?

1. AMbabus ulnis amplectuntur illud Apostoli 2. Cor. 5. *pro omnibus mortuus est Christus.*

Docent 2. non esse Semipelagianum dicere, sed Catholicum, modò recte exponatur, *Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum fuisse, & sanguinem fudisse.*

Docent 3. Christum pro omnium hominum salute mori voluisse voluntate antecedente.

Docent 4. Mortuum illum esse pro omnibus, & singulis quoad sufficientiam pretii.

Docent 5. Mortuum illum esse pro omnibus & singulis ratione causæ, & naturæ communis.

Docent 6. Hoc quoque sensu pro justis omnibus mortuum illum esse, quatenus ipsis sufficientem suo sensu, licet indigam efficacis auxilii potentiam, gratiâ interiori instructam conferri sentiunt.

Docent 7. Mortuum illum esse pro omnibus fidelibus eo sensu, quod nullus sit fidelium, qui non factus sit particeps alicujus effectus mortis Christi.

Ast! quid de hoc sensu, juxta quem adultis saltem omnibus conferri dicuntur gratiæ sufficientes, licet efficacis adjutorii egenæ? Hìc inter se non plane conveniunt, aliis asserentibus etiam hoc sensu pro adultis omnibus mortuum illum esse, aliis repugnantibus.

Denique in eo rursum conveniunt, quod uniformiter doceant: Christum absoluta voluntate solis electis salutem voluisse, petiisse, meruisse.

Defendi hæc omnia posse Catholice à Thomistis censere debet, quisquis cum DIDACO *piè ac Religiosè* Catholicos (quales vere sunt) vocare illos amat. Ex quo ulterius consequens est, & me quoque professoribus illis Catholicis annumerandum esse, si constiterit hac quoque in doctrina, eadem plane cum Thomistis me sentire.

Lubet hoc paucis experiri.

§. 18. *Quæ*

§. 18.

Quæ sit mea circa mortem Christi sententia?

RESP. Eadem plane cum sententia Discipulorum S. Thomæ §. superiori descripta, numeris 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

Porrò ad illam sententiarum varietatem quod attinet, quâ præcipui inter se Thomistæ dissident, & quâ inquiritur, num omnibus omninò adultis detur aliquando gratia sufficiens ipsorum sensu intellecta, utrilibet parti suo in sensu abundare per me licet. Hoc solum addiderim, me hactenus unà cum plerisque Catholicis non videre, cur, si pro salvanda mortis Christi universalitate opus haud sit, ut parvulis actu applicetur Baptismus, opus nihilominus sit pro eadem salvanda, actuali illa in omnes omninò adultos gratiæ istius sufficientis distributione.

Porrò voluntas antecedens, qua Christus pro omnibus omninò hominibus mortuus esse dicitur, quæ universæ Scholæ Thomisticæ probatur, & mihi placet. Similiter fructus omnes, quos ex morte illa pretiosissima in homines derivari eadem sentit Schola, & ego illis, eundemque prorsus in finem, lubens concessero.

§. 19.

Proponitur doctrina, quam DIDACUS in Jansenio condemnatam tradit.

DAmnata in Jansenio doctrina juxta DIDACUM potissimum sita est in sequentibus.

1. Quod gratia, quæ ad merendum requiritur, sit gratia propriè necessitans.

" Jansenianum virus, inquit, in eo colloco, quod mereri dicamur per actus bonos, elicitos ex „ gratia, quæ se tenet ex parte actus primi, & tamen indeclinabiliter nos impellit, consensum ex„ torquens, non sine necessitate infallibitatis & consequentiæ verè antecedente. Diff. part. 2. p. 64.

Quicquid hìc universa reprobat Schola Thomistica, & ego reprobo.

2. Jansenianum virus in eo colloco, inquit idem, "quod demereamur omittendo actus super„ naturales, aliquando concessâ quidem aliquâ (gratiâ) sed quæ non magis sufficit ad potentiam „ adæquatam, sive ad actum primum verè & simpliciter dictum, quam ala una ad volandum, aut „ crus utrumque contractum ad currendum. Ibid.

Quicquid hic Universa reprobat Schola Thomistica, reprobo & ego.

3. Jansenianum virus in eo collocat Didacus, quod demereri nos statuat iis actibus, à quibus abstinere non possumus hic & nunc sine gratia, qua sumus destituti. Ibid.

Quicquid hìc damnat universa reprobatque Schola Thomistica, & ego damno, reproboque. Hoc solùm hìc notatum oportuit: videlicet: Thomistas percelebres docere, nos, quantumvis excæcatos, obduratos, omnique gratiâ destitutos liberè posse agere, peccare, & demereri: atqui secundum ipsos libere non agimus, peccamus, aut demeremur nisi iis actibus, à quibus abstinere possumus, ergo secundum ipsos dici nequit, nos *demereri iis actibus, à quibus abstinere non possumus sine gratiâ quâ destituti sumus.* Ipsis & ego accino.

§. 20.

Quid in Jansenio juxta Didacum damnatum sit circa Propositionem IV.?

JAnsenianum virus circa hanc propositionem (si Didaco fides) in his duobus delitescit.

Primum est. "quod Semipelagianos affirmet veram gratiam internam & supernaturalem „ requisivisse ad actus omnes bonos, etiam ad initium fidei. Ibid. p. 64.

An istiusmodi gratiam eum in finem admiserint Semipelagiani, inter Thomistas non convenit, aliis affirmantibus, aliis id negantibus. In hoctamen conspirant omnes, meram hanc esse quæstionem facti, à qua proinde nullum fidei immineat periculum.

Alterum in quo hìc Jansenianum virus collocat Didacus, hoc est, quod in eo errorem fingat Semipelagianorum fuisse, quod gratia abjici possit, vel ei pro libitu voluntatis, in sensu saltem diviso dissentiri &c. Ibid.

Duplicem gratiam ad actus supernaturaliter bonos requirunt Thomistæ, excitantem alteram, sive sufficientem, alteram efficacem.

Priorem

Priorem docent non tantum posse abjici, aut eidem dissentiri in sensu diviso, sed etiam in sensu composito, id est fieri posse, ut homo illam gratiam actualiter sive reipsâ abjiciat, eidemque dissentiat.

Circa aliam verò gratiam, efficacem scilicet, censent iidem, quod licet nunquam gratia illa actualiter abjiciatur, eidemque taliter dissentiatur, ac proinde nec ei dissentiri in sensu composito, aut in eodem sensu abjici possit; consentiunt tamen illam abjici, sive ei dissentiri posse in sensu diviso; quod idem est ac si dicant, quod eo ipso momento, quo in voluntate est gratia efficax, movens v. g. ad credendum, remaneat tamen in eadem voluntate vera & ipsorum sensu proxima potestas ad non credendum.

Absit igitur ut vel Thomistæ, vel ego, qui hìc cum ipsis planè convenio, affirmemus Semipelagianos hoc titulo hæreticos fuisse, quod vellent gratiam interiorem, illam etiam, præter quam alia necessaria non est ex parte Dei ad operandum, *talem esse, cui possit humana voluntas resistere vel obtemperare.*

Hoc solum & ipsi & ego asserimus, à Semipelagianis admitti gratiam Molinisticam non debuisse, præter quam ad volendum vel operandum alia non requirtur gratia, cui voluntas pro nutu suo, nunc consentit, nunc non consentit; modò cooperatur, modò non cooperatur; certi interim nullum hinc nobis imminere incurrendæ censuræ periculum.

§. 21.

Quid juxta Didacum in Jansenio damnatum circa Dogma de Morte Christi?

JAnsenianum virus in eo hìc collocat Didacus, " quod juxta ipsum (Jansenium) Christus, cujus „ voluntas humana conformis fuit divinæ, non voluerit pro ullius alterius salute æterna Pa„ trem orare, offerri sua merita, sanguinem & vitam profundere, quam pro prædestinatis. Ib. p. 67.

Quicquid hìc damnat reprobatque universa Schola Thomistica, & ego similiter damno, reproboque.

Cæterùm, mentem-ne Jansenii hisce in assertionibus DIDACUS attigerit, convenienterque expresserit, expendant alii.

Mihi impræsentiarum sufficerit, si hinc discat DIDACUS, vel potius si cum Illustrissima V. G. omnes veri sincerique amantes intelligant, citra omnem duplicitatem me nuper ad DIDACUM scripsisse: *quod articulos omnes in materia de gratia damnatos eodem, planè modo sensuque damnem, ac reprobem, quo universa Schola Thomistica eos damnat, reprobatque.*

Quod tum asserui, & hic rursum affirmo, idque eo planè sensu dictum à me DIDACUS nôrit, quo Cardinales Baronius & Bellarminus, vel Sirmondus & Petavius dicere potuerunt, se eodem prorsus modo sensuque damnare articulos omnes in materia de persona, voluntateque Christi D. damnatos, quo illos Concilia damnandos censuerunt.

Hoc interim illos inter & me intercedere discrimen notet, quod illi publice sustinuerint Concilia illa errasse, aut dici id saltem posse dum errores circa fidem unius in Christo personæ, duplicisque in eo voluntatis vel Honorio, vel Theodoreto adscripsêre; Ego verò religiosiorem longè erga Constitutiones SS. PP. Innoc. X. & Alex. VII. observantiam huc usque præstiterim: cum nemo vel in scriptis meis unquam viderit, vel ex ore audierit, Propositiones 5. famosas malè à SS. PP. fuisse damnatas, vel ipsarum sensum damnatum in Jansenii scriptis non reperiri.

Utique sic non verbo, neque linguâ, sed opere & veritate obedientem Apostolicæ Sedis filium, Religiosumque Apostolicarum constitutionum observatorem me esse, toti mundo juvat manifestum facere.

§. 22.

Facilè-ne terminari queat Controversia inter me & Didacum, ejusve socios quantum attinet ad primum illius membrum?

REsp. Facillimè. Tantùm me ultrà non urgeat, DIDACUS, admittere gratiam suam Molinisticam: tueri gratiam, tum efficacem, tum inefficacem, quam cum Scholâ S. Thomæ propugno, & inhærere me finat doctrinæ circà Mortem Christi, quam celebres in eadem Schola Catholice tradunt, & pax erit.

Quod

Quod si id renuat, fateatur palam, ideò me damnatæ in Constitutionibus SS. PP. doctrinæ à se insimulari, quia eandem cum ipso gratiam sufficientem hactenus non admitto.

§. 23.

STATUS CONTROVERSIÆ *secundi membri.*

QUæstio inter nos agitatur, jure-nè, an injuriâ Didacus subtractæ Constitutionibus SS. PP. Innoc. X. & Alex. VII. debitæ observantiæ reum me agat?

Non jure, sed injuriâ id ab ipso fieri contendo: negat ipse. Res itaque penitius paululum inspicienda. Et hic igitur ab iis ordiamur, in quibus utrimque convenitur.

Convenit itaque inter nos 1. non citra gravem fidei, famæque læsionem istiusmodi notam Sacerdoti ac Doctori Catholico hodie inuri.

Convenit 2., licitum proinde non esse citrà sufficientia motiva, ejusmodi maculam cuipiam aspergere.

Convenit 3. Nullius Catholici, cæteróquin bonæ famæ, fideique integræ indubium fidem vocari posse hoc solo titulo, quod fidem suam à privata dumtaxat, privatisvè personis interrogatus, publice profiteri detrectet.

Convenit 4. tum id præsertim habere locum, dum aliunde sive per publica scripta, sive per alia testimonia convenientia, nonnisi sanam, irreprehensibilemque doctrinam professus est, & etiamnum profitetur.

Convenit 5. tum etiam injustè fidem cujuspiam in suspicionem sinistram adduci, cum, licet ob justas causas illam sub una formulâ non profiteatur, eandem nihilominus præsto est toti orbi sub alia Ecclesiæ itidem probatâ manifestam facere.

Convenit 6. ut quis debitam constitutionibus supra-me moratis exhibeat observantiam, requiri, ut intus in corde, & occasione exigente, ore & calamo condemnet 5. propositiones à PP. Innoc. X. & Alexand. VII. damnatas cum omnibus erroribus, quos continent, atque in omni sensu erroneo, per eas quomodocumque significato. Et hoc quæstionem Juris (uti loqui amant) concernit.

Convenit 7. quod jam pridem professus sim, me propositiones illas non tantum in sensu, quem Calvino & Jansenio adscripsit P. Annatus, coinciditque cum illo, quem Didacus eidem attribuit; non tantum in omni sensu, in quo eas damnat Schola Thomistica; sed & in omni sensu, in quo illas Ecclesia & Pontifices damnant, libenti animo damnare.

Convenit 8. me in nullis unquam publicis scriptis, colloquiis-vè ullam ex damnatis istis propositionibus laudasse, docuisse, aut sustinuisse.

Addiderim securus, nullum quoque sensum in iisdem ab Ecclesia & PP. damnatum, à me unquam fuisse laudatum, traditum, defensum.

Convenit 9. jam pridem me publice protestatum esse (utique sincere) me nihil in Jansenii libris scriptis-ve quibuscumque probare, aut tueri, nisi quod in iis teneri, tueri-ve à fidelibus Catholica permittit Ecclesia.

Convenit 10. me juxta consuetudinem Scholæ Lovaniensis erga Graduandos servari solitam, observantiam erga Constitutiones prædictas, jurasse juxta formulam ordinariam, in hæc verba mihi propositam.

„ Jurabis te quinque articulos per Constitutiones SS. PP. Innoc. X. & Alexand. VII. damnatos, „ damnare, iisdemque constitutionibus Religiosam observantiam præstare.

Convenit 11. me in Thesibus publicis exercitii gratiâ circa sensum Can. 4. sess. 6. Trid. disputantem, controversiam de Jansenii sensu per R. P. Isaacum de Bruyn Societatis Professorem obtrusam, tamquam ad rem nostram planè impertinentem, studiose devitasse.

Convenit 12. ut prædictis SS. PP. Constitutionibus fiat satis circa quæstionem facti, ut aiunt, requiri, ut talem erga illos adhibeat quis observantiam, qualem constet & à præcipuis authoritatis Apostolicæ vindicibus traditam, & ab ipsa S. Sede probatam esse.

Convenit 13. à Didaco proferri posse neminem (addam ego neminem prorsus esse) qui vel in scriptis meis quà publicis, quà privatis, viderit, vel ex ore me elapsum inaudierit, propositiones suprà memoratas malè à SS. PP. fuisse damnatas, ipsarumvè sensum in libris Jansenii non reperiri.

Lubet modò experiri, an & quantum contribuant ea, in quibus utrimque inter nos conveniri am diximus, ut innotescat

§. 24.

§. 24.

Non citrà injuriam me subtractæ Constitutionibus SS. PP. Innoc. X. & Alex. VII. Debitæ observantiæ à Didaco Reum agi.

Conferre per omnem modum ad stabiliendam hanc assertionem ea, quæ §. superiori dicta sunt, probatu haud admodum difficile est.

Etenim, cum famæ fideique meæ per accusationem istam, à Didaco mihi impactam, haud mediocriter sit detractum, convincendus est solummodò, sine motivis sufficientibus hanc ab eo criminationem institutam esse, ut pateat, *non jure, sed injuriâ*, me subtractæ constitutionibus sæpememoratis debitæ observantiæ ab *ipso* insimulatum fuisse.

Hoc verò, quid facilius? Si quidem constat alia ab ipso motiva, ob quæ famam, fidemque meam, cæteroquin integram, in dubium vocaret, allegata hactenus non fuisse, præter hæc duo, alterum, quod petente Didaco, ejusve socio publicam hactenus professionem circa prædictas constitutiones non emiserim: alterum quod doctrinam profiteri ipsi visus sim in constitutionibus illis condemnatam. Verùm, quam hæc fundandæ criminationi tantæ parum idonea! Et primum quidem, posterioris motivi infirmitatem præsens hæc prodit Epistola.

Nihilo solidius est motivum ejus alterum, hoc videlicet, quod pro voto ejus, mentem meam circa Constitutiones sæpe-dictas publicis in Thesibus huc usque non expresserim. Hinc namque confectum existimavit Didacus, me Doctrinæ, quam in Jansenio se damnare Alexander VII. speciatim declaravit, esse fautorem, atque adeò licitum sibi esse, tum Theses, tum epistolas meas ad sensum in iisdem constitutionibus damnatum detorquere. Quot & hic rationes militant, quæ infundatam ostendant eandem Didaci criminationem! sufficerint impresentiarum quatuor. Harum prima est, quod tum Didacus, tum R. P. Isaacus de Bruyn, à quibus hanc professionem aliquando sum rogatus, non judicum, nedum Tyrannorum, sed privatarum dumtaxat personarum vices erga me hucusque obierint.

Jam vero (uti patet ex §. superiori) Convenit inter nos, nullius Catholici, cæteroquin bonæ famæ, fideique integræ in dubium fidem vocari posse, hoc solo titulo, quod fidem suam à privata, privatis-ve personis interrogatus, publicè profiteri detrectet.

Secunda ratio est, quod, nullo hactenus refragante gratiæ per se efficacis vindice, doctrinam in materia inter nos controversâ, Scholis Catholicis planè conformem, publicis in Thesibus proposuerim.

Tertia, quod publicè professus sim, me articulos à SS. Pontificibus Damnatos, damnare cum omnibus erroribus, quos continent, unàque præstem Religiosam observantiam erga SS. PP. Constitutiones.

Quarta ratio hæc est, quod vel sciretur, vel sciri facile posset, alio à me modo fieri posse satis memoratis SS. PP. Constitutionibus, quam illo in individuo, qui sive à Didaco, sive à socio ejus propositus mihi fuerat.

Ast proximorum offensio, oggerunt Didacus & Isaacus, qui ex tuo silentio scandalum pati poterant, exteriorem hanc à te confessionẽ exigebat, quam nobis, tanquam personis privatis non debebas.

Verum, quis hîc proximos scandalizandi timor, posteaquam Doctrinam meam publicis in Thesibus tam dilucidè exposueram, ut, hunc usque in diem hâc in Academia ex defensoribus gratiæ à se efficacis inventus sit nemo, qui illam vel leviter castigandam censuerit; vel, posteaquam plus vice simplici palam feceram, me errores omnes, quos Ecclesia & PP. Innoc. X. & Alex. VII. in suis constitutionibus damnarant, animitus damnare: posteaquam sciri facile poterat alio modo, quam qui à Didaco vel à P. de Bruyn exigebatur, satisfieri illis constitutionibus à me posse?

Cum igitur ex dictis hoc §. liqueat neque ex parte doctrinæ quam sustineo; neque ex parte observantiæ, quam Constitutionibus SS. PP. Innoc. X. & Alex. VII. debeo, neque ex parte prætensi scandali à me dati, sufficientia hactenus motiva adduxerit Didacus, quibus me subtractæ iisdem constitutionibus debitæ observantiæ coram orbe universo reum convinceret, consectaneum prorsus est, NON JURE, SED INJURIA hanc mihi ab eo maculam aspersam esse.

Siquidem inter nos convenire diximus superiori §. quod sicuti non citra gravem fidei, famæque læsionem, ita nec citra injuriam, si sufficientia desint motiva, Doctori Catholico ejusmodi nota inuri possit.

§. 25.

Ulterius declaratur in nullo hactenus à me violatam Constitutionibus SS. PP. Innoc. X. & Alexand. VII. debitam observantiam.

DUo circa constitutiones illas veniunt observanda; alterum jus, sive doctrinam concernit, quę in illis damnatur; alterum attributionem, juxtà quam damnata in illis doctrina Jansenio expressè attribuitur.

Priori ex his duobus quis faciet satis 1. si intus in corde illas 5. propositiones damnet cum omnibus erroribus, quos continent, atque in omni sensu erroneo, quomodocumque per ipsas significato 2. si occasione exigente & ore, & calamo similiter eas damnet 3. si doctrinam Catholicam erroribus, per dictas constitutiones damnatis, contrariam corde teneat, ore proferat, litteris consignet.

Juxta primum ex tribus hisce modis me satisfacere, & jam pridem satisfecisse dictis constitutionibus probè mihi conscius sum.

Ad secundum quod attinet, neque illi me defuisse ullatenus, & Theses & epistolæ meæ typis publicis divulgatæ testantur abundè.

Circa tertium modum supra descriptum, si quis dubitet; vel unum designet, velim dogma ex epistolis tum hac secundâ, tum ex primâ Illust. V. G. inscriptis, inquibus doctrinam meam circa præsentem controversiam compendiose expressi, quod in Schola S. Thomæ Catholicè doceri non sinatur. Porrò, ad illam Decreti partem, quod attinet, quæ attributionem superiùs expressam respicit; hoc simili-ve modo eidem satisfieri posse Catholici complures tradunt; si nempe quispiam sincerè, id est corde & ore propositiones in illis constitutionibus damnatas damnando, attributionem illarum à SS. D. Alex. VII. speciatim factam, expressamque, nec verbo nec scripto convellere præsumat; sive (uti alii aliis id verbis exprimunt) *si dogmatibus fidem, factis reverentiam* vere & fideliter præstet; hanc autem resolutionem suam non præcipuis tantum Sedis Apostolicæ vindicibus V. G. Baronio, Bellarmino, Pallavicino, nec non Sirmondo, ac Petavio Societatis Jesu Theologis, sed vel ipsi Summo Pontifici CLEMENTI IX. probatam esse, indubitatum habent.

Cum igitur Constitutionibus illis SS. PP. etiam quoad partem istam quæ factum speciatim concernit, numquam vel verbo vel scripto me opposuerim, sed Religiosam semper iisdem præstiterim observantiam, rursum liquet, non potuisse me citrà gravem Injuriam à Didaco hac in parte redargui violatæ erga Constitutiones illas reverentiæ, nedum in dubium fidem meam evocari.

§. 26.

Qualiter majores nostri similem à se criminationem repulerint?

TRia potissimum hunc in finem præstitêre. 1. Non solum errores omnes, per constitutiones illas damnatos in corde damnarunt; sed datâ insuper occasione, ore calamo-ve sincere illas reprobârunt. 2. Graduandis jusjurandum injunxerunt, quo jurent se damnare articulos 5. à SS.PP. Innoc. X. & Alex. VII. damnatos, iisdemque Constitutionibus Religiosam observantiam præstare. 3. Doctrinam Catholicam erroribus illis oppositam corde tenuerunt, ore protulerunt, litteris consignarunt.

Exemplum prioris medii exhibuêre anno 1653. dum *quorundam malevolorum* (uti loquuntur) *vel certè imperitorum sermonibus*, divulgaretur *articulos omnes, vel aliquos, aut aliquem eorum* ab ipsis doceri ac sustineri; per publicum instrumentum, consentiente omni Magistrorum Collegio, fidei suæ sinceritatem, nec non filialem erga Constitutiones Pontificias observantiam testatam voluêre, declarantes "rumorem istum per omnia falsum ac calumniosum esse, nec facultatem „ de iis articulis aut controversiam movisse, aut motæ intervenisse, aut censuræ ferendæ obstitisse, „ aut jam latæ contradixisse: quinimo eam sibi intimatam reverenter suscepisse, articulosque „ per eam proscriptos pro damnatis habendos censuisse, nec eorum quempiam docere vel docuisse.

Et paulò post, præmissis 5. Articulis, de quibus in Constitutione Pontificis, ita prosequuntur: "Quorum omnium, ac singulorum censuras in eadem constitutione respectivè expressas, fa- „ cultas eâ, quâ par est, reverentiâ suscipit, & exosculatur, tamquam profectas ab Ecclesiæ Ca-

„ tholicæ

„tholicæ capite, & Christianorum omnium Patre; cujus judicio sensa sua omnia sive hactenus „prompta, sive posthac promenda lubens subjicit.

Eandem fidei suæ integritatem, prædictamque observantiam anno 1660. testatam fecère Alex. VII. dum, ut efficacius occurreretur exorituris forsitan contentionibus circa sensum Jansenii, quales in Ecclesia Gallicana exortæ tum fuerant, S. Facultas die 5. Novembris ejusdem anni motu proprio decrevit, ut consueto juramento Graduandorum hæc clausula adjiceretur:

" Jurabis te 5. Articulos per Constitutiones Summorum PP. Innoc. X. & Alex. VII. damnatos „damnare, iisdemque Constitutionibus Religiosam observantiam præstare.

Et hinc ortum, ut altum hic diu & Religiosum de sensu Jansenii servatum sit silentium.

Neque minorem curam Lovanienses adhibuère, ut tertio quoque modo prædictis constitutionibus satisfacerent; ostendendo videlicet se doctrinam erroribus per Constitutiones illas damnatis contrariam corde tenere, ore proferre, literisque consignare solitos esse.

Præstitère hoc non ita pridem (ut alios prætercam) ejusdem S. Facultatis Ablegati, dum anno 1679. coram SS. D. N. Innocentio XI. palam professi sunt, se inhærere doctrinæ majorum suorum de prędestinatione hominis lapsi, & auxiliis ac gratiâ Christi, contentæ in libello cui titulus: *Censura Facultatis S. Theologiæ Lovaniensis, & Duacensis*, & altero juncto, cui titulus: *Justificatio seu defensio Censuræ Facultatis S. Theologiæ Academiæ Lovaniensis.*

§. 27.

Difficultas unica, à Didaco proposita adversus ea, quæ §. 25. dicta sunt.

IN eo fundata est hæc difficultas, quod juxtà ipsum MENDACISSIME jactetur, Clementem IX. indulsisse, ut formulario in Alexandri VII. litteris edito subscriberetur, præmissâ erga dogmata in Constitutionibus Innoc. X. & Alex. VII. definita, fidei sincerâ protestatione, & circa facti quæstionem, quâ ejusmodi propositiones Jansenio attribuuntur, promissâ Constitutioni Summi Pontificis Alex. VII. debitâ observantiâ, quæ in eo posita dicebatur, ut nihil dicatur, scribatur, doceatur contrarium definitioni Summorum Pontificum. Ex quo concludit, neque hodie dictis SS. PP. Constitutionibus taliter fieri posse satis. Diff. part. 2. p. 78.

RESOLUTIO DIFFICULTATIS.

EXtat apud nos, Certificatio Illust. Felicis Vialart Episcopi Catalaunensis, quæ resolvendæ huic difficultati vel sola sufficiat. In hac testatur, 1. à se exaratum, & tum suâ tum D. Arnaldi manu subsignatum scriptum, seu processum quendam verbalem, in quo distinctiò duplicis submissionis erga Constitutiones Innoc. X. & Alex. VII. supra descripta exponebatur, eamque Nuntio Apostolico traditam fuisse. 2. Processum illum à Nuntio Apostolico per Cursorem extraordinarium Romam fuisse transmissum 3. Sanctissimum D. accepto illo processu, frequentissimam Cardinalium, Prælatorum, aliorumque Consultorum Congregationem indixisse. 4. Post trium septimanarum diligens examen processum illum solemniter fuisse approbatum. 5. Summum Pontificem, his peractis, statim pro felici pacis confirmatione seu consummatione mandata sua in Galliam direxisse. 6. Nova hæc optatissima illicò à Nuntio Ministris Regiis, Archiepiscopo Parisiensi, Episcopo Meldensi, & sibi; postridiè verò in publicâ (uti vocant) audientiâ Regi fuisse communicata. 7. Eundem Apostolicum Nuntium, nomine Summi Pontificis apud Regem institisse, ut authoritate suâ Regiâ pax obfirmaretur, æterno silentio concertationes præteritæ obvolverentur, & in eos, qui illas renovarent, gravissimis pœnis animadverteretur.

Ergo-ne & isthæc omnia MENDACISSIME jactari ab Illust. Præsule effutiet Didacus? Ergo-nè & MENDACISSIME locutum asseret Illust. Peresixium Archiepiscopum Parisiensem, dum suscepto Libello supplice Doctoris cujusdam Sorbonici, nomine Jacobi Dorat, in quo suam is ergà Constitutiones Innoc. X. & Alex. VII. modo supra-dicto submissionem testabatur, interdicto illum solvit, testatus eandem ab ipso Constitutionibus illis præstitam esse observantiam, quam præstiterant Episcopi Aletensis, Apamiensis, Andegavensis, & Bellovacensis, & quam Pontifex ipse susceperat?

Ergone tandem & MENDACISSIME egisse contendit Didacus Episcopum Constantiensem, dum præsente Illust. Harlæo Parisiensium Archiepiscopo, simili sibi oblatæ declarationi Anno 1675. acquievit?

Absit

Absit, ut tam sinistra de tot viris, omni exceptione majoribus, aut mihi, aut ulli Lovaniensium insideat suspicio, quatenùs larvato cuipiam DIDACO DE OROPEGA, homini vel ignoto vel sub fictitio saltem nomine delitescenti, fides habeatur.

Objicit quidem Didacus Laciniam aliquam Brevis à Clemente IX. ad 4. Episcopos 19. Januarii 1669. dati, in quo testatur Pontifex, non prius pacem illis datam esse, quam *cum ingentis obsequii,* Apostolicæ Cathedræ, *debiti testatione* significassent, *se juxta præscriptum Litterarum Apostolicarum, quæ à felicis record: Innoc. X. & Alex. VII. emanaverant, sincerè subscripsisse: & subscribi fecisse formulario in ejusdem Alex. litteris edito.* Verum; quem hodie latet, respicere Pontificem prudentissimum ad processum illum verbalem ad se datum 4. Decembris 1668. in quo hæc verba inter alia legebantur?

Ils (les 4. Evêques) *ont condamné & fait condamner les 5. Propositions avec toute sorte de sincerité sans exception, ni restriction quelconque dans tous les sens, que l'Eglise les à condamnée, ils sont tres eloignt de cacher dans leur cœur aucun dessein de renouveller ces erreurs sous quelque prétexte, que se soit, ny de Souffrir, que personne les renouvelle, & donne une atteinte à la condamnation, qu'en à fait l'Eglise.*

Quæ verba latinè ita efferre licet: "Damnarunt (4. *Episcopi*) & damnari sincerissime manda-,, runt, 5. Propositiones citrà omnem exceptionem aut restrictionem in omni sensu, in quo eas ,, Ecclesia damnavit. Longissime ab eo absunt, ut sub quocumque tandem prætextu errores illos ,, vel ipsi renovent, vel ab ullo renovari finant; denique ut ullatenus arrodi patiantur Censuram ,, ab Ecclesia adversus illas latam.

Ad hæc igitur verba respexit sapientissimus Pontifex, dum citatæ à Didado laciniæ subjunxit. "In præsens tamen cum nova & gravia isthinc accepimus documenta veræ, ac TOTALIS obedientiæ ,, vestræ (quâ & formulario sincere subscripsistis, & damnatis absque ullâ restrictione 5. Proposi-,, tiones in omnibus sensibus, in quibus à Sede Apostolicâ damnatæ fuerunt, alieni prorsus estis à ,, renovandis in hac re erroribus illis, qui ab eâ damnati sunt.

Sic equidem Clementem IX. intellexêre Illustrissimi Ecclesiæ Præsules præfati. Sic omnes, quorum maxime intererat per totam Galliam, Apostolico Nuntio & Rege, non tantum non contradicentibus, sed Approbantibus.

Quin-imo confectæ eo, quo jam dictum est, modo pacis ita Religiosus observator & vindex voluit esse Rex Christianissimus, ut edicto, emisso die 13. Octobris anno 1668. videlicet post pacem primâ vice annuntiatam, & in omnibus regni Parlamentis prælecto caverit, ne impostærum contentiones antea exortæ resuscitarentur, atque ita odiosa Jansenistarum & Semipelagianorum nomina comprimerentur.

Utique de talibus hoc suum edictum intelligi voluit Rex Christianissimus, qui juxta conditiones pacis datæ & postmodum confirmatæ per Clem. IX. formulario subscriberent, declarantes prout in processu verbali supra-memorato expressum est, videlicet, se condemnare sincerissime 5. Propositiones sine exceptione aut restrictione qualicumque in omnibus sensibus, in quibus Ecclesia èas damnavit; & nullatenùs se velle errores illos sub quocumque tandem prætextu renovare, aut censuram adversus illos latam arrodere.

Quantum verò ad attributionem attinet, juxtà quam propositiones illæ Jansenio adscribuntur, se Apostolicæ Sedi omnem eam deferre reverentiam & obedientiam, quæ primæ Sedi isti, libros proscribenti, exhiberi debet, juxtà omnium retrò sæculorum Theologorum & Doctorum consensum, ac præcipue novissimis temporibus assertam à viris Sedi Apostolicæ addictissimis, Cardinalibus Baronio, Bellarmino, Richelio, Pallavicino, & aliis Theologis Sirmondo, Petavio, & juxtà mentem Bullarum Apostolicarum, quæ in eo posita videtur, ut nihil dicatur, scribatur doceatur contrarium definitioni Summorum Pontificum.

Laudabilem istum Regis sui zelum (ut de aliis sileam) nuperrime imitatus est Eminentissimus Cardinalis Le Camus, dum sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, vetuit, ne quis proximum suum, coram nullo hactenus iudice Ecclesiastico convictum, nedum condemnatum, tamquam hæreticum aut suspectæ fidei reum agat.

Patet igitur ex dictis hoc §. non *Mendacissimè* jactari uti vult Didacus sed verissime affirmari, quod indulserit aliquando Clemens IX., ut quis præmissâ duplicis submissionis jam dictæ declaratione, formulario Alexandri VII. subscriberet.

Ex

Ex his porrò consectarium est 1. à Clemente IX. Orthodoxos illos omnes Sacerdotes habitos esse, qui sincere citrà exceptionem aut restrictionem damnant 5. Propositiones ab Innocent. X. & Alex. VII. Jansenio adscriptas, cum omnibus erroribus, quos in illis damnant Ecclesia & Pontifices: qui Religiosam præstant erga Constitutiones prefatas observantiam, in hoc sitam, ut *nihil dicatur, scribatur, doceatur contrarium Definitioni Summorum Pontificum*: qui nonnisi doctrinam vere orthodoxam ore calamoque profitentur.

Consectarium est 2. juxta eundem SS. Pontificem illicitum privatis esse, istiusmodi Sacerdotes vel hæreticos proclamare, vel suspectæ fidei reos agere, vel demum doctrinam eorundem ad sensum hæreticum hoc solo titulo detorquere, quod suam ipsi circà sæpe-memoratas constitutiones pro nutu eorundem privatorum professionem publicè non emittant.

Cum igitur Illustrissime Domine (uti ex dictis patet) ea omnia hucusque præstiterim, quæ tum à Clemente IX., tum à S. Facultate Theologica Lovaniensi à Sacerdote orthodoxo requiruntur, id est, cum non nisi Doctrinam Catholicam verbo & scripto alumnis Collegii Alticollensis tradam: propositiones 5. ab Innoc. X. & Alex. VII. citrà omnem exceptionem, aut restrictionem in omni sensu damnem, in quo illas Ecclesia & Pontifices damnant: Religiosam ergà eorundẽ Constitutiones observantiam usque modò servarim: longissimè ab eo absim, ut errores in illis Constitutionibus justissimè damnatos vel ipse renovem, vel ab iis qui curæ meæ commissi sunt renovari sinam. Quidni securè conclusero: non à me (uti falsò prætendit Didadus) qui prædicta omnia observavi, sed ab ipso potius scandali materiam, & Catholicis, & Acatholicis datam esse, dum in scriptis suis mordacibus, irrisoriis, petulantibus meam, Discipulorumque meorum, fidem toties in dubium vocare, & tantum non nos hæreticos formales declarare præsumit? Qûi enim Acatholici v. g. securos se fore in Ecclesia Catholica arbitrabuntur, ubi ad eam regressi fuerint, si obaudiant Sacerdotibus, qui eandem cum præcipuis Academiis Catholicis, præcipuisque Religiosis Ordinibus doctrinam profitentur, damnata ab Ecclesia & Pontificibus dogmata in omni sensu erroneo, in quo illa damnata fuere, similiter damnant: debitam denique ergà Constitutiones Pontificum observantiam præstant, & ab aliis præstari curant, si, inquam, obaudiant Sacerdotibus illis tutis esse non licere, sed à Compresbyteris suis hæreseos, rebellionisque inverecundè passim insimulari?

§. 28.

Eorum, quæ §. superiori dicta sunt, confirmatio.

Quia in §. præcedenti exemplis & authoritate Illustrissimorum Archiepiscoporũ Parisiensium Perefixii & Harlæi, nec non Episcoporum Catalaunensis & Constantiensis usi sumus in rem nostram, visum fuit, non abs re fore pauca hîc subjicere, quæ ostendant, non gratis illa à nobis fuisse asserta.

Inter hæc primas habeat Acta illa famosa, quæ ab Episcopo Catalaunensi & ab Antonio Arnaldo subsignata, per Nuntium Apostolicum ad Clementem IX. fuit transmissa, & per quam SS. Pontifex de sinceritate 4. Episcoporum circa subsignationem formularis Alex. VII. certior redditus est.

Occasionem scripto huic dederunt nonnullorum hominum inquietorum criminationes, per quas post datam primâ vice Ecclesiæ Gallicanæ pacem, Clementi IX. imposuerant, conditiones pacis non sincere à 4. illis Episcopis observatas fuisse.

Porrò harum conditionum una erat, quod declarationem emitterent scripto consignatam, quâ sincerissime profiterentur, se cum Innocentio X. 5. Propositiones ut hæreticas damnare, illas sine ulla restrictione, vel modificatione à se rejici, neque à se unquam sub ullo sensu vel prætextu propugnandas.

Quod verò spectat ad quæstionem facti, qua ejusmodi propositiones tribuuntur Jansenio, & ex ejus libro excerptæ dicuntur, se hac in parte præstituros constitutioni Summi Pontificis Alex. VII. debitam observantiam, obedientiam reverentiam, qualis Sedi Apostolicæ libros proscribenti exhiberi debet juxtà doctrinam omnium retrò sæculorum, ac præcipue novissimis temporibus assertam à viris S. Sedi Apostolicæ addictissimis Baronio, Bellarmino, Richelio, Pallavicino, & aliis Theologis Sirmondo & Petavio & juxta spiritum Bullarum Apostolicarum, quæ in eo posita videtur, ut nihil dicatur, scribatur, doceatur contrarium definitioni Summorum Pontificum.

Secunda conditio hæc erat: quod huic declarationi scripto latę subjicerent immediate 4. Epis-

copi formulam ab Alex. VII. concinnatam, cui cum suis Parochis & Presbyteris *nudè* subscriberent.

Religiose id præstitum est à 4. Episcopis. Verum cum ab aliis in dubium hæc eorum sinceritas apud Clem. IX. etiam post datam primâ vice pacem evocaretur, voluit SS. Pontifex penitius examinari, quid eorum Acta Synodalia, sive processus verbales complecterentur. Quod Pontifex jussit, promptissimè executioni mandatum est.

Porrò, quantâ cum sinceritate res gesta ab illis Episcopis fuisset per instrumentum publicum hic adjectum, adhibito primò diligenti examine, Episcopi, de quibus in Actæ titulo, testatum fecerunt. Quamvis autem Gallico idiomate expressum in Urbem missum fuerit; non abs re tamen fore duxi & latio donatum hìc illud appendere.

ACTE

Du 4. Decembre 1688. envoié au Pape par M. le Nonce au nom de MM. les Archevêque de Sens, Evêques de Chaalons & de Laon, pour informer plus particulierement Sa Sainteté de ce qui estoit contenu dans les Procés Verbaux des quatre Evêques sur la signature.

Les quatre Evêques, & les autres Ecclesiastiques ont agi de la meilleure foy du monde, & n'ont assurement que des pensées d'un tres-grand zele pour conserver la foy de l'Eglise, & d'une profonde soûmission pour le S. Siege.

Ils ont condamné & fait condamner les V. Propositions avec toute sorte de sincerité sans exception ny restriction quelconque dans tous les sens que l'Eglise les a condamnées. Ils sont tres-éloignez de cacher dans leur cœur aucun dessein de renouveller ces erreurs sous quelque pretexte que ce soit, ny de souffrir que personne les renouvelle, & donne aucune atteinte à la condamnation qu'en a fait l'Eglise, n'y ayant point d'Ecclesiastiques qui soient plus inviolablement attachez à sa doctrine sur ce sujet & sur tous les autres.

Et quant à l'attribution de ces Propositions au Livre de Jansenius Evêque d'Ipre ils ont encore rendu, & fait rendre au S. Siege toute la deference & l'obeissance qui luy est duë, comme tous les Theologiens conviennent qu'il la faut rendre au regard des livres candamnez, selon la Doctrine Catholique soutenuë dans tous les siécles par tous les Docteurs, & même en ces derniers tems par les plus grands Defenseurs de l'autorité du S. Siege tels qu'ont esté les Cardinaux Baronius, Bellarmin, de Richelieu, Pallavicin, & les Peres Petau & Sirmond, & même conformement à l'esprit des Bulles Apostoliques, qui est de ne dire, ny écrire, ny enseigneur rien de contraire à ce qui a esté decidé par les Papes sur ce sujet.

ACTA.

Quarta Decembris 1668. missa ad Pontificem per D. Nuntium, nomine DD. Archi-Episcopi Senonensis, Episcoporum Catalaunensis, & Laudunensis, quâ informaretur specialius sua sanctitas de eo, quod continebatur processibus verbalibus quatuor Episcoporum super signatura.

Episcopi quatuor, aliique Ecclesiastici fide egerunt quam optimâ; certumque est, eos non aliud, quam zelo maximo Ecclesiæ fidem, profundamque erga S. Sedem submissionem servare voluisse.

Condemnârunt & condemnari jusserunt propositiones quinque omni sinceritate, sine exceptione aut restrictione qualicumque, in omnibus sensibus, in quibus eos Ecclesia condemnavit. Longissimè abest, ut in corde suo abscondant consilium errores illos quovis prætextu renovandi, aut patiendi eos renovari ab aliis, vel in minimo labefactari condemnationem, qua Ecclesia illos proscripsit: cùm Ecclesiastici non sint, qui magis inviolatæ ipsius doctrinæ super hoc argumento omnibusque aliis adhæreant.

Quod verò spectat ad attributionem, quâ propositiones illæ adscribuntur libro Jansenii Episcopi Iprensis, iterum præstiterunt & præstari curârunt S. Sedi reverentiam omnem & obedientiam, quæ illi debetur, quemadmodum Theologi omnes conveniunt præstari ea oportere quoad libros condemnatos, secundum doctrinam omnibus sęculis per Doctores omnes propugnatam; quin & hisce ultimis temporibus per maximos Authoritatis S. Sedis Defensóres, quales fuêre Cardinales Baronius, Bellarminus, Richelius, Pallavicinus; & Patres Petavius ac Sirmundus, & quidem conformiter ad Bullarum Apostolicarum spiritum, qui est nihil dicere, scribere, aut docere contrarium illis, quæ hac in re per Pontifices decisa sunt.

A

A quoy ils ont ajoûté qu'ils procederoint par les voies Canoniques dans leurs Dioceses contre ceux qui manqueroient à l'un ou l'autre de ces devoirs.

Nous declarons & certifions qu'aiant eu communication & connoissance particuliere des sentimens des quatre Evêques, & de ce qui est contenu dans leurs Procés Verbaux, la doctrine qui est contenuë dans cet Ecrit est entierement conforme à celle desdits Procés Verbaux, & qu'ils ne contiennent rien de contraire à cette doctrine. C'est aussi ma creance & celle des dixneuf Evêques qui ont écrit à Sa Sainteté.

Quibus addiderunt, se viis Canonicis processuros in suis Diœcesibus adversus eos, qui horum uni vel alteri defuerint.

Declaramus & certificamus, quod, habitâ communicatione & cognitione speciali sensuum quatuor Episcoporum, & eorum quæ in processibus ipsorum verbalibus continentur, doctrina, quæ in hoc scripto est, plane conformis sit illi quæ est in processibus verbalibus, nihilque contineant huic doctrinæ contrarium. Hæc & mea, & novemdecim Episcoporum, qui ad sanctitatem suam scripserunt, fides est.

Atque hæc illa acta est, quam Romę unà cum aliis pacis conditionibus per tres hebdomadas continuas, in frequentissimo Cardinalium, Prelatorum, aliorumque Consultorum cœtu de mandato Clementis IX. examinatam & solemniter approbatam, pacis exoptatissimę confirmatio, annuente SS. Pontifice subsecuta est.

Verum, ne rei tantę, tamque Ecclesię utilis peræque ac necessariæ memoriâ per ex urgentes paulò post inquietorum hominum contentiones oblivione involveretur; placuit Illust. Episcopo Catalaunensi hunc in finem instrumentum publicum sua manu, suoque sigillo munitum conscribere; in quo cum multorum suprà à nobis dictorum veritas luculente stabiliatur, illud hisce lubentes subjicimus.

ATTESTATION

De Mr. Felix Vialart Evêque & Comte Chaalons Pair de France sur la verité de cet Acte & l'Approbation qu'il reçut à Rome.

Nous Evêque & Comte de Chaalons, Pair de France, ayant fait devant Dieu une tres serieuse attention sur tous les faux bruits qui se sont repandus touchant ce qui s'est passé dans l'affaire de la paix de l'Eglise, nous avons crû être obligez en conscience de declarer & de certifier, que le Pape Clement IX. aiant voulu terminer toutes les disputes qui partageoient l'Eglise de France, comme il fit par ses Brefs du mois d'Octobre de l'année 1668. Et ensuite aiant temoigné quelque desir d'estre encore plus particulierement informé de ce que contenoient les procés verbaux des quatre Evêques, M. l'Archevêque de Paris pour lors Archevêque de Roüen, qui s'emploioit avec beaucoup de Zele pour finir solidement cette grande affaire, nous seroit venu trouver avec Mr. Arnauld, & nous auroit obligez de dresser avec luy l'acte rapporté cy-dessus pour l'envoier à Rome; que cet acte estant écrit de nôtre main, & signé par Mr. Arnauld & par nous fut porté par Mr. de Paris à MM. les Ministres & communiqué par eux à Mr. le Nonce en sa présence; Que M. le Nonce aiant vû & consideré ledit Acte avec M. de Paris l'envoia par son avis aussi-tôt à Rome par un Courrier exprés avec des lettres de M. de Paris par lesquelles il authorisoit ledit Acte, & répondoit de toutes choses en terminant l'affaire conformement à la doctrine & aux mesures qui y sont portées: Que cet Acte & ces lettres estant arrivées à Rome, le Pape assembla une Congregation tres nombreuse de Cardinaux, de Prelats & d'autres Consulteurs, qui aiant discuté ces choses durant plus de trois semaines les approuverent solemnellement. Qu'ensuite sa Sainteté renvoia icy ses Ordres pour l'heureuse consommation de la paix de l'Eglise, lesquels y furent reçus avec une joie publique: Que M. le Nonce les communiqua aussi-tôt à MM. les Ministres, à M. de Paris, à M. de Meaux & à nous; & que dés le lendemain, qui estoit le jour de la Purification de l'année 1669. il en porta l'aggreable nouvelle au Roy dans une Audience publique, & luy demanda de la part du Pape, qu'il luy plût d'interposer son authorité pour maintenir cette heureuse paix, & pour imposer un silence éternel à l'égard des contestations passées, & même punir ceux qui les voudroient renouveller. C'est le témoignage que nous rendons à la verité avec d'autant plus de fidelité & de certitude que nous avons connu & vû nous-mêmes tres-particulierement toutes ces choses. Fait à Paris ce 15. Decembre 1674.

FELIX E. & C. DE CHAALONS.

(Locus Sigilli)

Status controversiæ tertiæ.

QUæritur inter nos, jure-ne an injuriâ Didacus me coram Orbe Universo insimulârit conjurationis initæ adversus ipsum & Patres Societatis? Resp. non jure sed injuriâ; tum quia probe mihi conscius sum me neque ante, neque in, neque post congressum cum D. Du Bois voluisse perficere (id quod nihilominus Didaci criminatio prætendit) *ut Jesuitæ omnes eliminentur totâ Missione Hollandicâ*, casu quo Didacus & Jesuita foret, & author libelli, cui titulus: *Confutatio* &c. tum quia peræque certus sum, me aliud non intendisse, dum unà cum D. Melis accessi D. Du Bois, quam ût, intellecto ex D. Du Bois, quis verus foret author istius CONFUTATIONIS, in qua tum D. Melis, tum ego, tum plerique in Missione Sacerdotes sæculares Lovanio adventantes in suspicionem hæreticæ doctrinæ evocamur, author ille à competente Judice, vel à proprio, si quem haberet, superiore compelleretur accusationem adversus nos institutam, vel probare vel retractare. In quo, quæ amabo vel umbra initæ adversus ipsum conspirationis? Nisi forte in perniciem scriptorum Societatis jam olim conspirasse velit Didacus congregationem 12. Patrum Societatis, dum censuit... *Si contigerit unquam quempiam è nostris, etiam alios quoscumque externos, maximè verò Religiosos, aut viros primarios, vel linguâ, vel calamo, aut aliâ quâcumque ratione offendere, aut aliam offensionis causam dare 1. ut in illum superiores diligenter inquirant, quâque par est severitate animadvertant, nihilque hujusmodi impunitum relinquant 2. ut curent iis, qui se læsos æstimare meritò putaverint, debitam satisfactionem* (quæ quidem sine actuali, efficacique illatæ injuriæ, calumniæque revocatione frequenter fieri nequit) *quam primum exhiberi, ac si quando libri illi, in quibus aliquid sit, unde quis offendi poterit recudantur, illud penitus expungi.* Ita habet Decretum 19. Congreg. 12.

Quod scripsit interim Didacus, scripsit; nec de retractandâ, sed de confirmanda potius cœptâ semel criminatione suâ sollicitus apparet. Petit etiamnum hodie per Epistolam ad nos nuper datam *quisquam-ne unquam in animum induxisset de viris tam modestis, tam humanis, tam blandis suspicari, odio eos arsuros tam implacabili, tam insolentem decreturos vindictam, quæ tot primarios Sacerdotes (Jesuitas) tot Apostolicos Divini verbi præcones, alienæ salutis studiosissimos, divinæ gloriæ zelosissimos propugnatores, unius vitio (si tamen vitio) reos faceret, tot annorum laboribus excultâ statione expelleret.*

Quam parum isthæc serviunt conservandæ, promovendæque animorum concordiæ, quam inter Sacerdotes sæculares & Patres Societatis in Missione vigere optavit toties, & præcepit Apostolica Sedes!

Cæterùm, quisquam-ne hæc præter Didacum, ejus confœderatos, eosque, qui aliunde Missioni Batavo-Catholicæ sunt infensi, de nobis suspicetur, difficile mihi persuaserim. Id saltem ipsa in Urbe, ad quam Epistola Didaci jam dudum delata est, non passim omnibus esse persuasum, Vir pietate & Doctrinâ conspicuus isthinc nuper significavit in hæc verba: *J'ay vû un mechant libelle sous le nom de* Didaco de Oropega *contre Messieurs de Swaen & Melis, où l'on attribué des paroles à M. Melis, qu'on ne croit pas qu'il ait dites.* Verba illa sunt (si quidem DIDACO DE OROPEGA fides) *si Jesuita libelli* (Confutationis &c.) *author sit, perficiam, ut Jesuitæ omnes eliminentur totâ Missione Hollandicâ.*

Hæc tamen ipsissima illa verba sunt, quæ juxta Didacum, non tantum D. Melis, à quo illa prolata esse contendit, sed & me, qui illa proferenti, si eidem fides, adstiti, odio arsisse evincant in Patres Societatis *tam implacabili, tam insolentem decrevisse vindictam quæ tot primarios Sacerdotes* (Missionarios ejusdem societatis) *tot Apostolicos Divini verbi præcones* &c. *tot annorum laboribus excultâ statione expelleret.*

Dispiciendum itaque, an & quâ veritate verba illa nitantur. Fiet hoc in §§. sequentibus.

§. 29.

Status Controversiæ quartæ.

QUarta quæstio inter nos hæc est: jure-ne an injuriâ publicè divulgarit DIDACUS DE OROPEGA dixisse D. MELIS, *si Jesuita libelli* Confutationis &c. *author sit, perficiam, ut Jesuitæ omnes eliminentur totâ Missione Hollandicâ.*

℞. Non

Non injuria tantum, sed & cum ingenti turbandæ in Missione Batavo-Catholicâ pacis & unitatis inter Sacerdotes sæculares, & Patres Societatis Religiosissimè servandæ periculo hæc à Larvato Didaco in publicum protrusa esse; negat Didacus. Dispiciendum itaque, quo id utrimque fiat jure?

Verum & hic ea præmittamus, in quibus inter nos vel convenit, vel ut minimùm, de jure convenire debet.

§. 30.

In quibus utrimque inter nos conveniat aut convenire debeat?

Convenit 1. accusationem illam solius D. Du Bois assertioni originem suam debere.

Convenit 2. quod quam primùm accusatio illa D. Melis mihique innotuit, illicò parati fuerimus jure-jurando affirmare, nunquam verba a Didaco Epistolæ suæ inserta, aut alia eis æquivalentia à D. Melis coram D. Du Bois fuisse prolata.

Convenit 3. Dominum Du Bois nostræ huic oblationi mox acquievisse.

Convenit 4. fassum fuisse *D. Du Bois*, quod fieri potuerit plus aliquid à se fuisse intellectum quàm dictum à D. Melis.

Convenit 5. scripsisse D. *Du Bois* in Epistola ad D. *Melis*; quod, ubi D. *Melis* graviter conquereretur *de injuria sibi, aliisque Hollandis illatâ, ideò* ipse verba ejus *sic* apprehendisset, *quasi spirantia minas expulsionis Patrum Societatis è Missione Hollandicâ, casu quo* &c.

Convenit 6. verba istiusmodi, hæsitantis, dubitantisque, nequaquam vero testis irrefragabilis, omnique exceptione majoris esse indicia.

Convenit 7. Illicitum esse saltem ordinariè occultum proximi crimen publico exponere sub unius, præsertim verò vacillantis, dubitantisque asseveratione.

Convenit 8. tum id præsertim obtinere cum crimen istud factu moraliter est impossibile, vel à superiore legitimo facili negotio impedibile.

Convenit 9. Crimen, quod mihi & D. Melis, objicit Didacus, eliminationem scilicet prætensam omnium Jesuitarum è tota Missione Hollandicâ, istiusmodi esse, quod merito vel moraliter nobis impossibile, vel saltem facile à superiore legitimo impedibile censeri debeat. Siquidem (uti mox editâ Didaci Epistolâ, alius quispiam ex confœderatis ejus observavit) duplici duntaxat viâ prætensæ, conspirationis nostræ executio tentari poterat, scilicet eliminationem Jesuitarum è Missione Hollandicâ; apud S. Sedem sollicitando, vel apud Acatholicas in Provinciis Confœderatis potestates procurando.

Jam verò nullus dubito, quin non Lovanium sed Anticyras potius navigandum nobis fateretur Didacus; si in animum seriò induxissemus, vel apud S. Sedem, vel apud potestatem politicam, votorum nos hac in re fieri compotes unquam posse.

Convenit 10. tantò cautiùs ad denuntiationem publicam occulti istiusmodi criminis procedendum esse; quantò ex una parte minùs est periculum mali apprehensi, & majus ex altera damnum, quod ex tali denuntiatione in tertium, maxime verò in integram communitatem derivari natum est.

Convenit 11. si quis ob assertionem alterius, quem dignum fide habet, bonâ primitus fide crimen aliquod occulum palàm fecit, eum non tantum non posse ulterius id confirmare, sed potius teneri ad reparandam proximi famam, ubi intelligit priorem Relatorem agnoscere, se falsum dixisse, vel rationabiliter dubitare, num verum dixerit, crimen illud propalando; præsertim si hæc ejus retractatio libera sit, & ad solius accusati amicabilem requisitionem facta, nec non aliunde accusatum constet integræ cæteroquin famæ, & de simili crimine, ne vel leviter ante hac fuisse notatum.

Convenit 12. prędicta omnia tum maxime obtinere locum, si forte crimen proximi, quod denuntiatur, necdum opere sit completum, sed in nudo hæserit verbo, quod vel ipsis accusatoribus asserentibus, ex fervore inconsiderato, aut præcipiti quâdam iracundiâ, ore elapsum est.

Fallor, si vel ex his solis, in quibus utrimque inter nos convenit, vel de jure convenire saltem debet, non recte deducantur tria hæç Corollaria.

1. Infundate me & D. Melis coram orbe universo insimulatos esse à *Didaco* prætensæ eliminationis omnium *Jesuitarum* è tota Missione Hollandicâ, casu, quo ipse author foret Confutationis, &c.

2. Jamdudum ipsum hac criminatione vel (uti loquendi hodie usus habet) calumniâ supersedere oportuisse.

3. Ob

3. Obstrictum itidem jam dudum illum fuisse, eandem criminationem publice revocare. Juvat interim uberius non nihil hæc declarare.

§. 31.

Inique nos Didacus dictæ sæpius conspirationis adversus PP. Societatis propalam insimulavit.

1. PLura id evincunt QUALITAS objecti criminis. 2. MODUS, quo accusatio isthæc instituta fuit. 3. MALA, quæ ex publicâ hac denuntiatiane nata erant derivari.

QUALITATEM objecti criminis si spectes, prętensa hęc conspiratio adversus Didacum & PP. Societatis inita crimen erat (si reipsa subsisteret) grave quidem juxta Didacum, imò si alteri ejus socio credi fas est, *Oatis* scelere vix inferius; ast occultum tamen. Crimen erat, tum nobis moraliter factu impossibile, tum si secretò superioribus à Didaco fuisset intimatum, facillimo negotio impedile 3. crimen erat, ex cujus neglectu nullum PP. Societ. damnum, & contrà, è cujus imprudenti denuntiatione grande malum in Missionem natum erat derivari. Haud temere ergò propalandum.

Ad MODUM, quo criminatio isthæc instituta est, si attendas; institutam invenies in epistolis duabus, alterâ latio, altera Gallico idiomatè exaratis, & per typum publici juris factis. 2. Institutam, D. Melis, qui primariò invaditur, nequidem monito. 3. Institutam verbis acribus, & stipatam novâ criminatione, quâ idem D. Melis in suspicionem damnatę ab Ecclesia doctrinæ sine ulla probatione evocatur. 4. Institutam ex nuda solius D. Du Bois assertione, qui post approbatum à se libellum DIDACI, in quo is D. Melis iis annumerârat, quos *avidè* sectari asserebat damnatam ab Ecclesia Doctrinam, fassus est postmodum in Epistola ad D. Melis data, se *nihil simile* de ipso *audivisse, nec apprehendisse quod simile quid* de illo *ibidem enuncietur*. Item *fieri* potuisse, *quod plus aliquid* à se *fuerit apprehensum, quam* à D. Melis *dictum*: rursus: quod quia D. Melis graviter conquereretur de injuria sibi aliisque Hollandis à Didaco illata, IDEÒ ipse SIC verba ejus apprehenderit, QUASI *spirantia minas expulsionis PP. Societatis è tota missione Hollandica*. Quæ omnia non sunt nisi hominis hæsitantis dubitantisque indicia.

Atque hinc verisimiliter ortum, ut è familiaribus ejus nonnemo, secundò, tertiove à congressu nostro die asseruerit ea, quæ modo D. Melis affinguntur, à me dicta fuisse.

Denique, si MALA consideres, quæ ex hac denuntiatione prædictis vestita circumstantiis, nisi fortiter repellatur, in Missionem nostram derivari queant, plura ea sunt, v. g. discordia inter PP. Societatis & Sacerdotes sæculares, dum discipuli è Collegiis nostris admissionem adventantes, veluti eodem, quo nos fingimur, erga Patres illos animo affecti, & uti pravis à nobis imbuti doctrinis, apud fideles à nonnullis diffamabuntur.

Atque hinc secundò, contemptus, & odium fidelium illis PP. subditorum in Clerum: quæ odia quidem jeò usque ascendere nonnunquam iis in partibus dicuntur, ut male-creduli Catholici audacter asserant, se potius ad prætense-Reformatam Ecclesiam, quam ad Oratoria sęcularium Sacerdotum accessuros.

Exinde libelli famosi, poëmata, Flandrico idiomate exarata, dignitati non Clericali tantum & Sacerdotali, verum etiam Episcopali vehementer injuria, Denique confictæ enarrationes (Gazulas vulgò vocant) in quibus præcipui (uti nuper vidimus quique) in missione Batavo-Catholicâ viri, vix ipso, vel ne vix quidem Vicario Apostolico dempto, tamquam fidei Catholicæ eversores inverecundè & calumniose debuccinentur.

Hinc 4. Contemptus reciprocus, & odia in Patres Societatis ex parte fidelium Clero subditorum, sibique imaginantium (jure ne an injuriâ, hic non discutio) sibi, inquam, imaginantium Pastores suos, quorum vitam ac doctrinam, uti irreprehensibilem à teneris suspexerunt, novissimis jam diebus, si non ab ipsis illis Patribus, ab ipsorum saltem subditis inique dilacerari, Patribus ipsis eos vel approbantibus, vel saltem non impedientibus.

5. Scandala, dicteria, subsannationes Acatholicorum in Catholicos, dum eos Ecclesiæ suæ unitatem uti par est, encomiis celebrantes, plurimis hodie dissidiis vident à se invicem dissidere.

6. Indignatio Apostolicæ Sedis adversus Missionem, utpote quæ fert egerrime, filios suos Acatholicis immixtos, Contentionibus importunis inter se collidi.

Ea modò, quæ hoc §. dicta sunt, si unicò intuitu aspiciamus, ultrò convincemur, nonnisi injuriâ prætensum conspirationis Didacianæ crimen adversus PP. Societatis objici à Didaco nobis potuisse.

§. 32.

meâ *signato* repeterem, illa quæ tunc sunt dicta in libro Didaci contineri circà Sacerdotes Hollandiæ, nulla minarum facta mentione.

Quâ igitur ratione ex silentio nostro per dies aliquot, concludere Didacus potuit, quod vel ego probarem minas illas, vel Dominus Melis, quem scit Notarium nequidem accessisse, quique ex me prætensarum illarum minarum, nihil intellexerat? Quidni hîc potius, quam alibi putavit, nos non meminisse eorum omnium, quæ coram Domino Du Bois dicta fuerunt?

Cæterum non approbatio fictitiarum minarum; sed timor potius, me ingerendi spinosæ litigii viæ, ad quam modus ille procedendi Domini du Bois ducere videbatur, silentium præ ulteriori circa personam Didaci inquisitione eligere persuasit.

Nihil ergo eorum, quæ me inter & Notarium gesta, vel, ea subsecuta sunt, accusationem Didaci fulcire potest; recurrendum ergo ei rursus ad solius Domini Du Bois testificationem.

Cæterum, ne Illust. V. Gr. sim oneri, falsitates complures in libellis Didaci occurrentes negligo, v. gr. de libello supplice per D. Melis conscripto, de locis libellorum Didaci Rectori non exhibitis &c. id quod hic annoto, ne putet Didacus plura alia concessa, quia neglecta.

Finiendum, *Illustrissime Domine* negotiis aliò me avocantibus. Si diffusior hæc I. V. G, difficultatum Didacianarum resolutio visa fuerit, quam illæ merebantur; en aliam non perbrevem tantum, sed & brevissimam, Nituntur illę potissimum his quatuor suppositionibus.

Supposuit Didacus primò à me tradi doctrinam in materia de gratiâ & libero arbitrio, & morte Christi contrariam Scholis Catholicis v.g. Lovaniensi & S.Tho. & hinc difficultates primi generis.

Resolutio. Nego suppositum. Probet Didacus vel difficultates suas retractet.

Supposuit secundò violatas esse à me Constitutiones SS. PP. Innoc. X. & Alex. VII. & hinc difficultates secundi generis.

Resolutio. Nego suppositum. Probet Didacus, vel retractet

Supposuit 3. me approbasse, quam Domino Melis affingit, eliminationem Jesuitarum è Missione Hollandicâ & hinc difficultates tertii generis.

Resolutio. Nego suppositum probet Didacus vel retractet. Supposuit 4. dictum esse à D. Melis *Si Jesuita author libelli sit, perficiam, ut Jesuitæ omnes eliminentur totâ Missione Hollandicâ.*

Resolutio. Nego suppositum. Probet Didacus vel retractet.

Alterutrum horum dum expecto, id est, ut accusationes suas Didacus probet, non vagis quibusdam scriptiunculis, sed coram legitimo ac competente judice, vel ut, si probare non potest, easdem debite retractet; post exosculatas humillime sacratissimas manus vestras subscribor

ILLUSTRISSIME AC REVEREND. DOMINE,

Illustrissima ac Reverendissima Vestra Gratiæ

Humillimus Famulus

MARTINUS DE SWAEN.

Lovanii 21. Martii 1692.

ACTA NOTARIALIS.

Tenore præsentis instrumenti notum sit, quòd anno Domini 1691. die 11. currentis mensis Augusti comparens coram Notario publico & testibus infrascriptiis Amplissimus Dominus Nicolaus Du Bois insignis Ecclesiæ Collegiatæ Divi Petri, in hoc Oppido Decanus, Librorum Censor, &c. declaravit quòd die nonâ ejusdem Mensis ad ipsum venerint Eximius Dominus de Swaen, & Eruditissimus D. Melis S. Theol. respectivè Doctor & Licentiatus, idque circa horam tertiam pomeridianam, ac post familiares aliquos discur-

sus à dicto Domino comparente petierunt, an approbasset certum Libellum Authore Didaco Oropega, item an illum legisset antè approbationem? Respondenti affirmativè, objecerunt quòd Libellus ille contineret gravissimas calumnias in Clerum sæcularem Hollandicum & consequenter in ipsos, à quibus tota cura deputandorum ad Missiones penderet. Calumniam autem dixerunt esse hanc, quòd dicti Libelli Author, seu ille Didacus assereret plerosque sæculares Missionarios esse Jansenistas. Cùm verò dictus Comparens post ipsorum discessum revolveret dictum Libellum, & manuscripta ante approbationem tradita, & nihil simile inveniret, cœpit timere ne fraus aliqua lateret, seu an non malitiosè esset corrupta editio ad carpendum Censorem, vel fortè Authorem, in quem minæ videbantur spirare & in cæteros ejusdem instituti socios. Quare judicavit requirendum, prout requirit infrascriptum Notarium, ut quamprimùm adeat Eximium Dominum de Swaen, vel Eruditissimum Dominum Melis, petatq; ut scripto manu suâ signato repetat illa, quæ tunc sunt dicta in præfato Libro contineri, & prout continere tunc dixerunt & exemplar impressum exhibeat in quo contineantur. Acta sunt hæc Lovanii die & anno in quibus supra, præsentibus Hurbuno L'annoy & Joanne Wolfs testibus ad præmissa vocatis & rogatis, qui Dominus Comparens minutam hujus signavit mecum Notario, quod testor

H. FRANSSENS 1691.

Epistola D. Du Bois ad D. Melis.

Reverende Adm. & Eruditissime Domine,

Licet in congressu nuper habito in Collegio Regio cum Erud. D V. & Ex. D. de Swaen [illegible] ed. [illegible] Didaci de Oropega Lovaniensis Theologi mihi noti, & [illegible] Theolog[illegible] pariter notum & familiarem conquereretur graviter D. V. de injuria, sibi aliisque Hollandis illata; ideoque verba vestra sic apprehenderem quasi spirantia minas expulsionis Patrum Societatis Jesu è Missione Hollandica, casu quo ille Didacus foret ex illa Societate: quia tamen D. V. & Exim. D. de Swaen parati sunt jurare, nihil simile dictum, acquiesco oblationi, quia fieri potuit, quod à me plus apprehensum fuerit quam dictum.

Et quod ad alterum attinet, de quo Erud D. V. conquireretur, se in dicto libro pag. 50. numerari inter illos qui Jansenii sententias avidè sectantur, dico me nihil simile de D. V. audivisse, nec apprehendisse quid de illa ibidem enuncietur. Duæ enim ibi sunt & separata sententia una de tacentibus, altera de sectantibus, apprehendi D. V. numerari inter tacentes, nullo modo inter avidè sectantes, atque hoc consentio communicari iis, qui fortè aliter essent informati.

Inferius habebatur

REVERENDE ADM. & ERUDITISSIME DOMINE,

D. V. Humill. S.

NIC. DU BOIS.

Lovanii 6. Sept. 1691.

Imprimatur. J. D. CUYPER Lib. Censor.
Datum Lovanii 21. Martii 1692.